



G.B. Galli fece, Ferrara

DIDACI

JOSEPHI ABADII

MEXICANI

INTER ACADEMICOS ROBORETANOS

AGIOLOGI

DE DEO, DEOQUE HOMINE

HEROICA

EDITIO SEXTA

Cæteris castigatior.









CÆSENÆ MDCCXCIII.

Apud Hæredes Blasinios sub Signo Palladis.

Superiorum Permissu.

TIBI.

[a] *O. ADONAI.*

TER. SANCTE.

INCOMPREHENSIBILIS.

BENEFICENTISSIME.

O. M.

TE. SUADENTE.

HÆC.

EX. ANIMO.

QUEM. TU.

SOLUS. INTROSPICIS.

INTER. ANGUSTIAS.

[a] Nomen meum *ADONAI*. *Exod 6. v. 3.*

FLORENTISSIMÆ
MEXICANÆ JUVENTUTI
EMMANUEL FABRI
S. P. P.



EN ad vos revertitur, JUVENES ORNATISSIMI, annorum fere tredecim postliminio, æternumque apud vos in imagine victurus, Cl. DIDACUS JOSEPHUS ABADIUS: ABADIUS nempe ille, quem totos decem annos in humanioribus literis, in Philosophia, Theologia, & utroque Jure Ducem habuistis præstantissimum; ut ad omnem scientiam, sub ejus disciplina informati, Urbi nostræ, Patriæque dulcissimæ, in supremo honorum fastigio constituti, maximo in præsenti ornamento esse possetis. ABADIUS, inquam ille, qui sub eo mitissimo Cœlo natus, altus, & eruditus; in eoque dignissimum hoc opus excogitatum, ac fere perfectum; in Italia vero auctum, & expolitum plaudentibus cunctis edidit; adeoque sui memoriam immortalitati consecravit. ABADIUS denique ille, qui cum videret, sanctissima CHRISTI dogmata a vesana istorum turba, qui se Philosophos dici volunt, novis quotidie machinis scelerate impeti, omnibusque stili illecebris in auxilium vocatis, avitam Religionem fœdum in modum deturpari; veritatis amore incensus, eam pro viribus tueri, inconsultæque in primis JUVENTUTI, ne incauta abriperetur, quanta posset carminis venustate, antidotum offerre, suarum esse partium existimavit. Vobis præsertim, JUVENES amabilissimi, quibuscum tot vinculis illum, meque etiam Natura Parens arcte conjunxit; vobis vigilias ille suas, laboresque jure optimo consecratos voluit: ut quam a majoribus nostris, singu-



singulari Numinis beneficio, incorruptam Fidem accepistis, retinuistisque hactenus; eam tot inter infelicis hujus sæculi pestiferos errores ac deliria, sartam tectam conservaretis. Vobis, inquam, fortunatissimi mortalium, quos donis suis adeo large cumulavit Deus, munificaque adeo liberalitate distinxit; ut cum benignissima Cœli temperie, frugumque immensa, vel ultra delicias ubertate, generosa etiam indole, suavissimis moribus, ingeniisque ad omnem scientiam aptissimis locupletaverit. Quid enim enumerem, quot ex vobis olim insignes Viri prodierint, prodeantque hodie dum, quos in Templis, in Scholis, in Foro, Toga, Militiæque, Oratores eloquentissimos, sublimes Theologos, subtiles Philosophos, Legum interpretes, ac Peritos, invictos Duces, dignissimos item Præsules, ac Pastores novus vester orbis toties veneratus est? Quis ignoret, quot ea insignis Regia, ac Pontificia MEXICANA Academia, scientiarum omnium in America Lyceum, illustriumque Heroum Seminarium, quot, inquam, floruerit semper, floreatque etiamnum Doctoribus, ac Magistris, sub quibus ad omnem disciplinam primores Juventutis informati, & ad magnarum artium decora exculti, vel amplissimis pares Dignitatibus adolescunt, ut literariam deinde Rempublicam doctrina, atque eruditione sua illustrent? Tenetis profecto magna illa in Mexicanis fastis Nomina, quæ, ut æternum Patriæ decus, illiusque Academiæ ornamentum maximum, nulla unquam ætas obliterabit, nimirum *Davila-Padillas*, *Siguenzas*, *Alarcones*, *Roxos*, *Nunnezios*, *Nietos*, *Eguiaras*, *Seguras*, *Villas*, *Lascanos*, *Portillos*, aliosque bene multos, quos vel doctrinæ excellentia ad summam Dignitatum amplitudinem apud vos evexit; vel omnigena plenis eruditione editis libris, apud exteras etiam gentes immortalitati fama consecravit: ut eos prætercam, qui, vel clarissimis, ut *Casadus*, apud Europæ Principes functi legationibus, immortale Mexicanæ Academiæ, atque Urbi decus pepererunt; vel summis etiam, ut *Vertizius*,

zius, Præfecturis, militari gloria partis insignes, illustrissimæ familiæ, totique adeo genti nostræ maximo semper erunt ornamento. Quæ dum vobis in memoriam revoco, novissimumque, ac domesticum in ABADIO latinæ venustatis, atque elegantissimæ Poeseos exemplar propono, quidni ad ea potissimum studia vos accendam, ad quæ & ingeniorum vestrorum mira præstantia, & amabilis morum æquabilitas, dulcissima denique illius Cœli clementia, quod nec tetra noctium caligine, glacie, ac nive fere perpetuis per hiemem riget; neque intolerandis Solis ardoribus torret per æstatem, vos maxime alliciunt, immo etiam (ut ita dicam) nolentes impellunt? ad humaniores nempe literas, latinitatis præsertim cum in prosa, tum in ligata oratione culturam, quæ in amœnissimum, omnibusque deliciis affluentem campum vos deducet, & cæterarum omnium scientiarum adyta patefaciet. Ea nempe muniti in augustissima eloquentiæ & Sacræ, & Civilis Sanctuaria penetrabitis: quo quid sublimius, quid adolescente liberaliter instituto dignius, quid ad patrium splendorem augendum aptius reperire fas est? Hoc uno studio instructus MARCUS ille TULLIUS homo, ut de se ipse fatetur, novus in Republica, ac nullis majorum imaginibus, nulla generis claritate conspicuus; ad supremum tamen gloriæ fastigium, atque amplissimos in Senatu honores evectus est: & quam *Camilli*, *Scipiones*, *Marij*, *Pompeii*, *Cæsares*, aliique invicti Duces, nobilissima stirpe, ac bellica virtute clari, sibi, ac Pop. R. illustribus victoriis gloriam pepererunt; eandem ille, immo & majorem, diuturniorem certe, sola eloquentiæ majestate, propeque divino dicendi genere in potentissimo Populo sibi comparavit. Agite igitur, Mexicani JUVENES, in idque totis viribus incumbite, ut puram, tersamque latinitatem e Tulliano potissimum fonte, cæterisque ætatis aureæ Principibus petitam, serio, & constanti studio, multorumque annorum labore, & perseverantia possideatis. Id enim a vobis in primis carissima Pa-

tria expectat, ut quas in ejus sinum, opes plenis natura manibus profudit: preciosiores apud exteras Gentes efficiatis: Id familiarum vestrarum dignitas exigit; sic enim avitam gloriam, majorumque decora virtute parta, hoc etiam clarissimo honore auctam, posteris vestris magis, magisque augendam hæreditatem relinquetis: Id denique Religio Sancta postulat, ut hoc potentissimo gladio muniti, illius hostes, novis semper armis instructos, ac literarum sæpe insolentia præferoces infringere, ac debellare, eorumque sacrilegos impetus retundere latinæ majestatis splendore, Atticæque salubritate dictionis feliciter possitis. Quod si amœno huic humaniorum literarum studio, assiduam etiam Scripturam sanctarum lectionem adhibeatis; Deus immortalis! quem vobis ditissimum thesaurum, inexhaustumque veræ, ac germanæ eloquentiæ flumen comparabitis? „ In eis nimirum, ut cum CYPRIANO loquar, „ (a) condigna Fidei spectacula invenietis: videbitis instituentem Deum mundum suum, & cum cæteris animalibus Hominis illam dignam fabricam, melioremque facientem: spectabitis mundum in delictis suis, justa naufragia, piorum præmia, impiorumque supplicia: maria populo siccata, & de petra rursus maria porrecta: spectabitis de Cœlo descendentes messes, non ex areis: inspicietis flumina transitus siccos, refrænatis aquarum agminibus, exhibentia: Fidem cum igne luctantem, Religione superatas feras, & in mansuetudinem conversas intuebimini. “ In sacris itidem libris magnificos Divinæ Sapientiæ satus, augustæque ac veræ sublimitatis speciem, frustra alibi quærendam, abunde reperietis: Quæ profecto *Æmilium Apamensem*, *Dionysium Longinum*, aliosque Deorum inanium cultui, fœdæque superstitioni addictos ita perculit, ut nobilem sententiarum majestatem, planeque divinum, & sua simplicitate nitentem figurarum splendorem sæpius admirarentur. Et sane præcipuus hic semper,

(a) *Libr. de Spectaculis*.

per, ubberrimusque fuit ABADIO fons, unde magnificas illas, ac digna gravitate plenas formas, quæ in hoc Carmine passim nitent, sese hausisse sæpius profitebatur: quippe qui cum latinorum Principum non interrupto studio, attentam etiam Scripturarum sanctarum lectionem perpetuo conjunxerat. Eaque propter, JUVENES ornatissimi, majus nullum, certiusve amoris mei, gratique erga vos animi pignus offerre possum, quam hoc ipsum præclarum opus, quod de morientis amici manibus inter lacrimas exceptum, & commendatum, vestris sub auspiciis nunc tertio in lucem profero: in eo siquidem & exquisitæ latinitatis saporem, & Poeseos sublimitatem, eruditionis delicias, &, quod caput est, sanctissimæ nostræ Religionis arcana, quantum homini mortali fas est, pro dignitate expressa, magno quidem vestro emolumento reperietis. Illud igitur æquis animis accipite, assiduaque lectione diu, noctuque evolventes, tamquam scholæ, atque educationis librum præ manibus habete; filiis deinde vestris, carisque nepotibus divitiis omnibus pretiosiorem hereditatem in ipso relicturi. Mihi interea illud unum reliquum est, ut quando amici, civisque etiam muneri pro meis viribus satisfeci, DEUM Opt. M. orem obtesterque, ut vos incolumes, florentem Patriam, venturamque olim ex vobis Juventutem (quæ *spes altera* Mexici est) sospitet, conservetque. Valete.

Dabam Bononiæ Cal. Ju. MDCCLXXX.

SPE-

SPECIMEN

VITÆ AUCTORIS

MUltorum votis expetita tandem prodit in lucem sexta, secunda vero postuma editio præclarissimi Poetæ DIDACI ABADII, seu *Jacobi Josephi Labbè*, quo se ille nomine celatum voluit duabus primis editionibus. Vix ille quidem, magna latinæ Poeseos jactura, e vivis excesserat, amici complures, gnari, eum supremis vitæ suæ diebus quinque nova Carmina, eodem prorsus stilo, argumentique majestate prim o Operi addidisse; quin & editis jam Carminibus, tertio ad limam revocatis, alia non pauca hinc illinc inserenda reliquisse; me, quem penes MSS. omnia reperiebantur, etiam, atque etiam instare, immo &, symbola collata, urgere, ut in universum Opus tertio edendum, quanta maxima possem diligentia, incumberem; & absolutissimum Carmen, aurea ætate dignum insertis opportunis locis novis additionibus, publici juris facerem: Id a me amicitiæ, communis Patriæ, ac Religionis jura, quicquid, nempe sacrosanctum apud homines est, omnino exigere. Adeo igitur justis amicorum votis, meoque muneri facturus satis operi me accinxi, nullo alio sane labore, nisi ut quæ nova, eaque dispersa additamenta ABADIUS reliquerat, in unum cogerem, collatis numeris ordinarem, ordinataque in suum quæque locum aptarem opportune. Anteavero quam de toto universim Opere quæ premonenda sunt, loquor, Auctorem ipsum inspicere, deque ipsius vita, moribus, studiis, quantum locorum longinquitas patitur, nonnulla prælibare operæpretium existimavi.

DIDACUS JOSEPHUS ABADIUS honestis, & copiosis Parentibus maximus natu Filius editus est, Calendis Jun. an. S. MDCCXXVII. in Paterno prædio prope Oppidum Novæ Hispaniæ, quod Vallisoletanam ditionem a Guadalaxarensi discerminat, nomine *Xiqnilpan*. Et primam quidem pueritiam apud Aviam egit, quæ ab uberibus Matris avulsum Infantem domum asportavit: nimirum Filiis, Filiabusque quo decebat honore, jam pridem collocatis, orbitati suæ solatium in Neposti carissimi educatione habitura. Eam vero ab ipsa disciplinam ABADIUS nactus est, quam Dionysius olim Longinus excelsis quibusque mentibus præoptabat: liberalissimam, & (quantum Chri-

stianis

ftianis moribus fas eft) indulgentem, generofam, qua fcilicet fublimiora puerorum ingenia inftructa altius affurgere, & magnanima femper cogitare affuefcerent: interdum quippe nimio timore, ac feveritate oppreffa, quafi vilefcunt, & ad fervilia folum inclinant, propriæ oblita dignitatis. Id unum ex ea educatione cepit detrimenti, quod ipfe poftea, grato tamen femper erga Aviam animo, fubinde lamentabatur: quod tanta indulgentia, ac benignitate a puero habitus, non fatis ad patientiam eruditus effet, neque ad labores, & duriffima, quæ deinceps fibi fupervenerunt incommoda, ut vellet, occalluiffet.

Septennium prætergreffus, cum magnæ illius mentis fcintillæ identidem emicarent, evocatus a Patre domum eft, ut ftudiis illis, quibus prima ætas impertiri debet, mature erudiretur. Cum autem in natali folo rari invenirentur Præceptores, aut certe non optimi; longe eos acciri Pater juffit, eifque informandum Puerum tradidit; nequa erumpenti Filii ingenio, atque uberrimos promittenti fructus, cultura deeffet. Et fane fingularis beneficii loco numeravit femper ABADIUS paternam hanc de fe follicitudinem: cui perpetuam illam in ftudio conftantiam, amoremque difcendi, quem ad extremum ufque vitæ retinuit, debere fatebatur. Primis Grammatices rudimentis domi, nec fine laude, perceptis, ratus haud immerito Pater, felicius multo, uberiufque in pubblica palæftra, quam in privato ludo Filium exercendum, eum a complexu Matris, fuorumque avellere, Mexicumque deducere, opportunum exiftimavit. In qua nimirum, ut pote totius Novæ Hifpaniæ Urbe Principe, & Doctorum copia, & Auditorum frequentia literarum ftudia quam maxime florerent; tum ad omnes fcientias, & ad bonos item mores præcipuæ Nobilitatis Adolefcentes in Collegiis accuratiffime imbuerentur. Hic igitur ad D. Ildefonfi Collegium inter Alumnos adfcriptus ABADIUS, quod reliquum erat Grammaticæ, tum Poefeos, Rhetoricefque ftudium ita confecit, ut memoriæ facilitate, atque ubertate ingenij æquales fuos longe anteire, ac Princeps omnium facile haberi jam tum merito cœperit. Grammatica eo modo abfoluta, nondum duodecennis, Philofophiam aggreffus eft, peregitque maxima laude: paucifque deinde interjectis menfibus, cum ætatis fuæ annum quartum decimum expleviffet, mundo nuntium remittere, feque totum DEO uni in Soc. JESU confecrare optavit, ac voti compos effectus eft. Incredibile eft, quanto omnium plaufu in eam adfcitus fit; totius Provinciæ Præfidi, qui eum admiferat, tum & ipfius Præceptori, fub quo meruerat, univerfis con-

congratulantibus, quod tantæ ſpei Juvenem, Patriæ, ac Societatis ornamentum certiſſime futurum, fauſtis ſane ominibus, adlegiſſent.

Tirocinium itaque ingreſſus in pervigilio D. JACOBI Apoſtoli, anno MDCCXLI, quantum antea literarum ſtudijs curæ impenderat, tantum, ijs nunc intermiſſis, virtutum, ac perfectioris vitæ ſtudio cœpit impendere. Morum ſcilicet innocentia, oculorum modeſtia, ſui contemptu, exactiſſimaque legum vel minimarum obſervantia ad moderandos animi impetus, & ad libertatem, voluntatemque abnegandum unice cum cæteris exercebatur. Ex hac nimirum Sanctitatis Schola, Sociorum exemplis accenſus, aſſidua ſacrorum librorum lectione imbutus, ac frequenti rerum cæleſtium, noſtræque Religionis contemplatione inflammatus hauſit ABADIUS mentem illam, quam toto vitæ ſuæ curſu conſtanter tenuit, quamque in hoc de DEO Carmine, ut legenti cuique in promptu eſt, cumulatiſſime effudit. In his interea pijs exercitationibus expleto biennio, ad humaniores literas, ac manſuetiorum Muſarum commercium translatus eſt: idque aviditate tanta, atque ardore arripuit, utpote in quod toto naturæ impetu ferebatur. Duos, eoque amplius annos, vix enim pubertate exceſſerat, huic amœniſſimo ſtudio intentus, ad exquiſitum illum ſaporem Latinitatis, quem ſemper præ ſe tulit, & ad poeticam elegantiam ſeſe formavit: aureæ quippe, argenteæque ætatis principes ſcriptores, non ſolum identidem evolvere, ſed attenta etiam lectione meditari; & quicquid ſublime præſertim, ac magnifice dictum in iis repererat, in commentarios referre, jam tum ſollemne habuit. Fuit enimvero præcipuus hic ſemper ABADIJ ſcopus, maximaque in ſcribendo laus: ut in Atticum, quem vocant, ſtilum, preſſum nimirum, & proprietate verborum, granditate ſenſuum, pondere ſententiarum, vividarumque formarum ſublimitate ornatum nervos omnes intenderet, eumque pro viribus conſectaretur: fuſum autem illud, atque æquabile dicendi genus, quod verborum copia, atque orationis flumine nitet imprimis, velut enerve, popularibus ſolum cauſis, ac multitudini aucupandæ proprium faſtidiret. Uſque eo porro nervoſo hoc dicendi genere ABADIUS trahebatur, ut ſi in familiari ſermone ipſum loquentem audiſſes, nihil niſi grande, & gravitate plenum concipere; nihil non per ſublimes imagines efferre videretur. Hac etiam de cauſa (ut id obiter attingamus) in hoc de DEO Carmine condendo, cum tantæ magnitudinis, & quo auguſtius nullum reperiri fas eſt, ſibi argumentum propoſuiſſet, ad res, potius, quam ad verba in-

intentus, numerum illum, ac versus facilitatem, qua plurima delectantur, *consulto*, *consulto*, inquam, interdum neglexit: arbitratus haud immerito, illam summam argumenti sui majestatem, *Scripturamque* simplicitatem omnino dedecere. Et sane quis æquo animo ferat, nedum postulet, Poetam ad Divinitatis, ut ita dicam, fastigium evectum, & quæ in DEO Opt. Max. supra humanam mentem penitiora sunt, fixis oculis contemplantem, verba quærere, captare semper numerum, sensuque deserto in re adeo gravi, suavitatem illam sectari, quæ nonnullorum auribus unice, atque importune blandiatur? Cæteroquin vero nullus negat harum rerum peritus, ibi locorum, ubi ABADIUS judicavit, e re sua non fore illam deditæ operæ negligentiam, fluxisse sibi numeros, ut volupe erat, vel ad ubertatem, vel ad dulcedinem, vel ad pulcritudinem, vel ad majestatem. Nulla est enim dicendi forma, quam non suo loco facile usurpet: ut non stili sui vel servus, vel corrasor, sed plane Dominus fuisse videatur, tanquam haberet omnes dicendi formas in potestate.

Primis Theologici studij exactis annis, Grammaticam traditurus Urbem *Zacatecas* missus est: eo quidem consilio, ut cum magnificum ibi Templum denuo extructum esset, summaque Civium celebritate, ac plausu dedicandum, Epicam totius Operis, magnificique ornatus Descriptionem, &, quam in illis partibus, vocant *Panegyrim* (Poematis genus in summo populi conventu a Puero aliquo pronuntiandum) ipse pro dignitate componeret, exultatiumque Civium expectationi, ac lætitiæ publicæ satisfaceret. Fuerunt hæc enim vero prima Abadianæ Poeseos rudimenta, quæ, typis edita, ac per eam urbem, aliasque etiam novi orbis sparsa, magnum ubique plausum, atque admirationem reportarunt; majora jam tum, sublimioraque de ditissima illa vena, felicique ingenio omnibus jure merito augurantibus. Quo de Poemate ABADIUS postea, maturescente judicio, adeo pudore suffundebatur, ut nollet illud in memoriam, nisi cum censura revocare. Fatebatur enim, vitio ætatis tunc fere puerilis, ac præfervidæ semper mentis; sed tum maxime per ætatem fervidissimæ, luxu nimio, ac tumore, falsique dicendi luminibus peccavisse. Lectione scilicet *Jo: Barclaii*, *Gongoræque* tunc temporis misere seducebatur: quos Auctores, & similes, postea grandior factus, a manibus Juventutis volebat quam longissime sepositos: cum *Garcilassum*, *Zuritam*, *Parram* & similes horum, pro literis hispanicis; pro latinis vero *Virgilium*, *Terentium*, ac *Tullium* unice, & impen-

pensissime commendaret. Abruptum interea Theologiæ curriculum perfecturus, sacrisque initiandus, Mexicum post biennium remigravit: Angelopolim deinde missus est, ut primarias, quas vocant, universæ Theologiæ, ac Juris etiam *Theses* in florentissimo Doctorum congressu, horis ante, & pomeridianis sustineret, ultimamque eo publico periculo studiorum suorum metam pertingeret.

Nec vero diu Mexicus Abadij doctrina, atque eruditione caruit: vix namque biennium abfuerat, iterum repente vocatus est, Philosophiam ibi, etiam intempestive numeroso Adolescentium cœtui traditurus: cum enim designatus eo anno Philosophiæ Professor, adversa implicitus valetudine, commissum sibi munus exsequi impediretur; Abadius unus ante alios electus est, qui, vel imparatus, eam provinciam debito cum honore susciperet, exspectantemque, ac Doctore orbatam Mexicanam Juventutem scholæ præceptis, ut par erat, erudiret. Possem hic enim vero in Abadij commendationem complures nominare, qui summa ab eo diligentia instituti, & ad literarum amorem Magistri verbo, & exemplo tracti, varijs nunc scientiarum laureis in urbe florentissima insignes, Præceptori non minus, quam Patriæ splendori sunt, atque ornamento. Præsertim cum ex ijs plurimi, non in Philosophicis tantum disciplinis, sed in humanioribus etiam literis, Theologia, & Juris utriusque scientia eum audierint, & ad omnem, ut ita dicam, literaturam sub illius disciplina sese formaverint. Philosophiæ enim curriculo maxima cum laude confecto, ad Regale, & antiquius D. Ildefonsi Seminarium missus est: quod Seminarium, frequentissimum Novæ Hispaniæ, & inter frequentissima totius Orbis Collegia educandæ juventuti destinata numerandum, fere trecentos e primoribus Juventutis alebat: ex his erant, qui tum Mexici, tum in aliis Novæ Hispaniæ urbibus, scientijs naturalibus imbuti, partim Theologiæ, partim Pontificio, ac Civili juri, sub Soc. olim J. PP. operam darent, Doctores deinde, multorumque Magistri in sua quisque Patria aliquando futuri. Et primum quidem utriusque solum Juris Præfecturam, vel eam sane difficilem Abadius suscepit; mox etiam sacræ Theologiæ, quam utramque spartam simul strenue susceptam ea ille laude ornavit, ut Præfectura sua Exemplar dici possit castigatissimorum pro Juris prudentia, atque Theologia in eo Collegio studiorum. Accesserat enim huic provinciæ capessendæ, purgatis jam hoc tempore suis ipse studijs omnibus. Quod enim de Poesi, & Eloquentia diximus, id ipsum Abadio in cæteris omnibus contigerat,

gerat, per ætatis, atque ardentioris ingenij temperamentum: ut raperetur nimirum primis annis, mirandis potius, quam veris rerum, ac nativis formis. JOSEPHI vero CAMPOI familiaritate multum profecit; hunc condiscipulum habebat, eundem semper suspexit, ejus studia æmulatus est, ac mortuum publico scripto laudavit. (a) Cum videret igitur, CAMPOJUM (qui summo erat studio, summo judicio) summa semper, & exquisitissima in omni studiorum genere, sectari; ipse hæc secum probans, & secum tacitus æmulatus, studia ita composuit sua, ut omnia de integro renovaret. Accessit etiam ANTONIJ GALLIANI (optimæ spei juvenis, quem præmatura mors musis eripuit) atque aliorum id ætatis qui *ex se nati* (quod de Curtio ait Tacitus (b) Musis bonis restaurandis videbantur, exemplum. Quibus de rebus libenter diceremus, cum sint ad Historiam literariam Mexicanam conducibilia, nisi nos heic brevitas impediret. His itaque, in absolatissimum optimi Literati exemplar informatus ABADIUS instillavit Juventuti sibi commissæ mentem per omnia purgatissimam. Ac primus sane fuit, qui in illis partibus *Originibus* JANI VINC. GRAVINÆ, in tradendis Jurisprudentiæ Civilis elementis, uteretur. Conabatur deinde omnibus eam mentem inducere, quæ excussis quisquilijs, veram, & antiquam *Papiniani*, & Instauratoris *Cujacij* Jurisprudentiam revocaret. Idem in Theologia præstitit, ut procuraverit primum eam è sincerissimis fontibus deducere, *Scripturæ* scilicet, PP., Conciliorum, Historiæ, cæteris, deinde hanc sacram facultatem, omnium Reginam, debitis sibi elegantijs omnibus (sinceris nempe, & regalibus, non plebeiis, atque fucatis) juste, & convenienter ornare. Neque his porro contentus ABADIUS ex Convictoribus nonnullos, qui in id potissimum propendere videbantur, ad humaniorum literarum, Latinitatis præsertim optimæ, culturam privatis institutis informabat. Porro ex hac nimia contentione, assiduoque labore, fractis omnino viribus, diversis subinde morbis conflictari cœpit: & cum nullo unquam tempore de ea constantia remitteret, debili semper, atque obnoxia valetudine ad ultimum usque vitæ deinceps usus est. Id quod in causa fuit, cur implorata sæpe vel præstantiorum Medicorum ope, sibique semper, ut ajebat, inutili reperta, serium, ac laboriosum Medicinæ studium, præter cætera, quibus indefessus vacabat, aggressus sit, colueritque in posterum, optimis quibusque ejus Artis Auctoribus in auxilium voca-

(a) *Opusc. de Exterer. Latinitate.*
(b) *Anal. libr. XI.*

vocatis: solitus proinde dicere, huic sese studio, quod fracta adeo valetudine, utcunque viveret, referre omnino acceptum; si penes Medicos stetisset, jam pridem se ex hujus vitæ miserijs ereptum iri.

Cæterum sic affectæ ABADIJ valetudini consulere, atque ipsum ex nimia ea contentione recreare, æquum jam videbatur: quocirca ab ijs tantæ molis præfecturis remotus, Divi Francisci Xaverij Queretarensi Seminario Rector præficitur: in quo, & si illius Juventutis educationi invigilandum ipsi erat, simulque tradenda Theologia, haud ita tamen magno labore utrique muneri posset satisfacere. Ubi primum igitur illi tot ex incommodis respirare licuit, quicquid ex injuncto sibi officio supererat temporis, ad privata illico studio totum transtulit. Mathematicis propterea disciplinis (nam & eum eruditum pulverem pridem attigerat) impensius vacare; tum & subcisivis horis Virgiliani Poematis hispano carmine versionem, quæ vel sola insigne decus, *Abadianæ* que sublimitatis monumentum esse poterat, exequi instituit; denique præclaro huic de DEO operi, quod jam dudum mente conceperat, manus admovere; ut qua par erat dignitate, augustissima quæque nostræ Religionis Arcana, immo totam DEI HOMINIS vitam de divino *Scripturarum* fonte unice decerptum, heroico carmine complecteretur. In eum porro finem, divino implorato auxilio, attentam in primis sacrorum Librorum lectione, quam in delicijs semper habuerat, divinarumque Veritatum assiduam contemplationem necessariam sibi esse existimavit; qui Latini stili ornamenta, ac Poeticæ Veneres multorum annorum non interrupto studio, possideret. His igitur intentus curis totos quatuor annos in ea urbe tranquille exegerat, donec communi naufragio in Italiam delatus, Ferrariam, Atestinis olim Ducibus florentissimam Sedem, in Sociorum partitione sortitus est. Hic posteaquam ex longissimæ navigationis, peregrinandique molestiis respiravit; quanquam temporum, hiemis, præsertim insolito rigore, vir sub mitissimo cœlo *editus, neque ad horum locorum patientiam generatus*, supra modum vexaretur, pro DEO tamen susceptum olim laborem iterum amplecti, & quæ sibi Deus otia fecerat, in Catholicæ Religionis obsequio sanctissime collocare, totis viribus annixus est.

Comperto vero paulo post, prima illa Carminum fragmenta, quæ imperfecta adhuc, neque ad severiorem, ut par erat, limam revocata, Mexici reliquerat, ipso omnino inconsulto, evulgata esse, præque omnium manibus ferri; completam eo-

rum

rum editionem adornare, amicorum complurium iteratis precibus, quin etiam facultatibus in sumptus sponte oblatis, demum decrevit. Anno igitur MDCCLXXIII. hæc de DEO HEROICA triginta tribus solum Carminibus comprehensa primum edidit Venetis prælis: *Labbeumque* se paullo immutato nomine, & *Selenopolitanum*, seu Urbis Lunæ (id enim patria lingua Mexicus sonat, ut plerique credunt) Civem appellavit. Eo porro omnium plausu ubique illa excepta sunt, ut nobilem *Scripturarum* simplicitatem, ac majestatem vere divinam cum latinæ Poeseos sublimitate, ac venustate conjunctam nemo non admiraretur, magnificisque elogiis in cælum efferret. Instar multorum sit CL. FRANCISCUS MARIA ZANOTTUS Bononiensis Licæi ornamentum maximum, Mathematicorum Doctor insignis, ac Musarum deliciæ: cui nuper in emerita senectute, Literatorum omnium lacrimis extincto, Bononia magnorum Virorum fœcunda Parens, Cultrixque eximia, mœstissimo luctu, ac tanto Viro apparatu digno parentavit. Hic profecto *Divini*, ut ajebat, *Poematis* pulchritudine raptus, illius Auctorem, hominem exterum, ac sibi ignotum, aspicere, amplecti, ac tenerrime diffuaviari, tanquam *de Religione*, *deque Literaria Republica benemerentem*, instanter desideravit. EUSTACHIUS pariter ZANOTTUS præ'audato ex Fratre Nepos., & SEBASTIANUS CANTERZANUS, Bononiensis item Licæi duo maxima Lumina, *Abadianam* Poesim, puramque Latinitatem verbis commendarunt quam amplissimis. Tum & CLEMENTINUS VANNETTIUS Eques perillustris, Augustissimæ Roboretanæ Academiæ a secretis, qui generis claritatem cum exquisita doctrina, admirabilique eruditione conjungens, Patriam suam, Musasque amœniores Latinitate aurea ætate digna maxime illustrat. Hic nimirum, ut primum ABADIJ Carmina, sibi ab Amico dono missa, videre licuit, *in magnam statim*, „ ut ipse fatetur, *de Auctoris ingenio adductus est opinionem*. „ Etenim videbantur (VANNETTII verba sunt in Epistola „ ad ABADIUM) non solum tersa, plena, poetica; sed etiam „ ejusmodi, ut Imaginum sublimitate, gravitate sententiarum, „ Argumenti Divinitatem mirifice subsequerentur... In præ- „ sentia quidem nullum nec animi mei, nec alienæ approba- „ tionis majus testimonium tibi dare possum, quam hoc ipsum „ *Diploma*, quod ab Accademiæ nostræ Principibus, ostenso „ libro, tibi vel facillime imperravi... Perge veterum Chri- „ stianorum Heroum exemplo, sanctissima quæque gravibus „ numeris exornare, ut non tam ipse a Musis, quam a te

 „ Mu-

„ Musæ dici aliquando *illustratæ possint*. Cum his simul literis honorificum remisit Diploma, quo perinsigni Academiæ, sub augustissimæ Romanorum Imperatricis Bohemiæ, Ungariæque Reginæ MARIÆ THERESIÆ auspicijs *Roboreti* pridem erectæ plenis suffragijs AGIOLOGI nomine ABADIUS adscribebatur. Mitto Hispanos SERRANUM, LAMPILLAS, HERVAS, Patriæ gloriæ; ac literaturæ clarissimos in Italia Assertores, quibus ABADIJ opus egregium, immortale, ac felici Augusti sæculo dignum visum est.

His porro honoribus, tantorumque Virorum, subacti certe judicij, maximique in hac re momenti, tum & aliorum complurium, omnium ordinum testimonijs auctus ABADIUS; sibi tamen minime satisfecerat. Qui opus suum etiam, atque etiam relegens, multaque in eo ut sibi videbatur emendatu digna; multa etiam, eaque dignissima, plane, desiderari animadvertens, illud incudi reddere, omnia ad limam revocare, ac nova demum, sane nobilissima Carmina adjungere aggressus est: quibus peractis, cum in volumen, fere dimidio majus, opus jam excrevisset; iterumque prælis subjicere, Amicis denuo faventibus cogeretur, Ferrariæ secundo prodijt in lucem, eosdemque, immo & majores plausus reportavit. Cæterum cum fractæ valetudinis incommoda augerentur in dies, novisque etiam morbis subinde vexaretur; salubrioris Cæli captandi gratia, Bononiam perijt: in qua annum ferme integrum ita commoratus est, ut aliis ex aliis increbrescentibus malis, de ipsius vita, magno quidem amicorum dolore, actum esse crederetur. In eum nempe atrum mœrorem, sensuumque quasi hebetudinem inciderat vi morbi, ut vitæ etiam, sibi molestissimæ, tæderet sæpius: nec libros, delicias olim suas, & unicum a Puero curarum levamen, aspicere, nedum evolvere fas erat: immo mortem solam, quæ se ex tot miserijs aliquando eriperet, atque æternæ tranquillitati, omnis agonis immunem, redderet, vehementissime anhelaret. Sex, eoque amplius, menses in hac animi pariter, & corporis agritudine cum exegisset, sanitati demum, Deo sic volente, restitutus est; tandiuque in ea perseveravit, dum supremam operi suo manum feliciter imponeret, quo in absolutam, ut ita dicam, sacræ Theologiæ *Summam* evaderet; in qua nihil ultra ad magnificam sublimiorum veritatum expositionem desideraretur. Quod cum perfecisset, trigintaque octo Carminibus Ferrariæ secundo editis, denuoque ad trutinam vocatis, alia quinque nova addidisset, & reliqua omnia accuratissime limasset, (ut in accessione, quam inter MSS. Præloquio

suo

suo inserendam reliquit, testatur ipsemet) dicere auditus est: *Votorum* se nunc compotem, quod sibi præfixerat muneri fecisse satis; libenterque jam mortem obiturum, cum Religioni sanctæ, quam tueri, exornareque sibi proposuerat, vigiliarum suarum debitum, quo posset modo, exsolvisset.

Nec vero perquam utili huic labori ABADIUM diu superstitem voluit DEUS, quin ad ea sanctissima Arcana, que prope divino expresserat versu, æternum fruenda, ac propius, ut pie credimus, contemplanda, demum, ut optaverat, evocaretur. Valetudine, ut nunquam alias, vegeta utebatur, ac prospera: neque ulla impendentis mali inerat suspicio; cum postridie idus Junias, violentissimo alvi profluvio ad defectionem ex improviso correptus, & ad extrema brevi redactus, laborum suorum metam demum attingere existimans, ad æterna jam, mortalibus valere jussis, sese comparabat. Convaluit tamen, non ut mortem effugeret, sed ut prolixo agone, diuturnoque patientiæ certamine immortalitatis coronam augere, æternæque Beatorum gloriæ consors effici posset. Tres ipsos menses inter acutissimos dolores ab effervescente bili, quæ viscera urebat, sitique torrebat ardentissima ita transegit; ut misericordis in se DEI benignitatem gratus agnosceret, venerareturque, ac sese majoribus etiam tormentis dignum appellaret. Deficiebant vires in dies, cibos omnes respuente stomacho: ac proinde tardo gressu adventantem mortem tranquillo, ac placido vultu excipiebat, compellabatque interdum ijsdemmet illis verbis, quæ ex imo certe pectore olim expresserat. (a)

Pigra venis, pigra & est tibi falx, pigræque sagittæ:
O quoties te suspiravi, teque vocavi!
O bene, quod tandem venisti! Vincula rumpe
Corporis, ut possim, tristi hoc e carcere missus,
Usque meum contemplari Dominumque, Deumque;
Et coram aspicere, & coram placidissimo amore
Usque frui, & sanctos propius bibere ebrius ignes.

Dum his interea pijs amoris Divini affectibus largiter indulgebat ABADIUS, invalescente quotidie morbo, ac prostratis omnino viribus, in supremum vitæ discrimen vocabatur. impendentis igitur periculi admonitus, deque æterna solum salute jam sollicitus, Immortalitatis Viatico petiit muniri; eoque inter liquidissimas gaudij lacrymas ita refectus est, ut, cum integram fere noctem duxisset insomnem, sitique adureretur ad mortem, totas tamen decem horas, ne frigidæ quidem stilla gustata per-

B 2 sti-

(a) *Carm. V. v. 68.*

fliterit, in Magnifici, ut ex vero dicebat, Hospitis, Supremique humanæ vitæ, ac mortis Arbitri expectatione. Triduum supervixit, atrocioribus semper doloribus vexatus: donec pridie Kalend. Octobris, omnibus Ecclesiæ Sacramentis pie susceptis, in Crucifixi amplexu, interque amicorum lacrimas, faustum iter precantium fato concessit, hora ante meridiem, anno Rep. Sal. MDCCLXXIX. ætatis suæ LII. M. IV. Obijt Divo HIERONYMO sacro die, quem pietate præcipua coluerat semper; & cui felicis ingenij laude, tum peracri naturæ temperamento, sublimi denique *Scripturarum* expositione, videri posset non absimilis omnino. Postridie elatus est, ac debito cum honore justa persoluta: Exterorum etiam nonnullis, alijs magnum Theologum, alijs sublimem, ac plane divinum Vatem immatura morte extinctum lugentibus. Fuit ABADIUS statura mediocri, corpore gracili, cæsijs oculis, naso depresso, & lato, capillo circa verticem raro, ac præcano: valetudine, viginti præsertim ante obitum annis, obnoxia, ut supra diximus, ac debili semper usus est: quæ ipsum, natura etiam austeriorem, ac difficilem, studijs præterea suis perpetuo intentum, hominum commercia effugere, ac solitudinis amore teneri constanter effecit; eaque propter, cum ab eruditis nonnullis illius Poematis, atque ingenij fama permotis ejus amicitia sæpius expeteretur, Vir ab insolentia gloriæ alienissimus, ac temporis perquam avidus ejusmodi frequentiam omnino recusavit. Neque aliter profecto tot res simul amplecti, adeoque diversis studiis vacare ille potuisset, qui tam infirma præsertim valetudine, præter humaniorum literarum, Latinitatisque culturam, quam nunquam intermisit, Theologia etiam sacra, SS. PP. lectione, utraque Historia, Juris utriusque Scientia; Philosophia itidem, Medicina, Mathematicisque disciplinis excultus, perindeque eruditus esset, ac si earum quamlibet singulariter profiteretur: quibus omnibus linguarum studium, lectionemque omnis generis, maxime Criticorum semper conjunxit. Plura item ABADIUS scripsit hispana, latinaque: In his sunt *Dissertatio Ludrico-seria de Exterorum Latinitate*, quam anno ante obitum edidit: *Nodus intricatior Matheseos solutus, seu Ratio composita expedita, & ad Tironum captum accomodata:* quæ quidem earum peritis ita probata est, ut publica etiam luce dignam existimarent, immo ad id etiam hortarentur. *Livini Meyer Anima minuscolo corpore conclusa*, seu *Epitome Historiarum Controversiarum de Auxillis*, quam & latinus stilus, & mira brevitas maxime commendant. Hispana vero sunt: *Octava Ecloga e Virgilii Bucolicis*, quam hispa-

hispano olim carmine donavit, tum cum totam, ut supra diximus, Æneidos versionem aggressus est; immo magnam etiam ex singulis libris partem delibavit; perfecissetque porro, nisi & adversa valetudo, & graviores etiam cogitationes alio animum avocassent. *Algebræ Compendium*: *Tractatus de cognitione Dei*: *Geographia Hydrographica*, seu de orbis terrarum Fluminibus præcipuis, &c. quæ duo imperfecta adhuc, neque ad exitum perducta reperta sunt: præter alia minora opuscula, & ligata, & soluta oratione, in quibus *Abadianam* sublimitatem, exquisitumque in latinitate fastidium agnoscere fas est. Ex his tantum subnectimus, Lectori, uti speramus, Amicis certe illius gratum facturi, duplicem Hymnum Inclyto Martyri, ac Patrono Mexicano Divo Philippo a JESU e S. Francisci Familia, qui apud Japones pro Christi Fide effuso sanguine, felicissima adhuc Matre superstite in Beatorum numerum relatus est, in ejus, ut ajunt, *Officio* nuperrime a S. Sede approbato insertum, æternumque in Ecclesiastica Historia ABADIJ monumentum.

Salve, triumphalis Pugil,
Decus novi orbis maximum,
Qui morte fecisti tua
Beatiorem Patriam.
Athleta Princeps Mexici
Trophæa celsa Martyrum,
Dignamque Cælo lauream
Tu primus infers Patriæ.
Quicquid Juventus fervida
Peccaverat licentia,
Libenter in mortem ruens
Sancta expiasti Victima.
Tui fac, ut nos æmuli
Dolore cordis intimo
Jugique pœnitentia
Nostra eluamus crimina.

Philippe, Martyr inclyte,
JESU fidelis assecla,
Quem prætulisti nomine
Ad usque vis mortem sequi.
Confossus hasta triplici,
Fusoque rorans sanguine,
Distentus expirans cruce,
JESU refers Imaginem.
Sodalium tu Martyrum
Primoris is, & Signifer,
Agmenque ducens Cœlitum
Prior profundis sanguinem.
Audi precantum Civium
Voces, piasque lacrimas;
Ductorque noster, sedibus
Tu nos beatis insere.

Et hæc quidem de ABADIO: quem si minus digne, nec quibus par erat coloribus expressimus; amori tamen nostro, dolori certe, quem ex Doctoris, Amici, Sociique carissimi luctuoso interitu cepimus satisfacere conati sumus: eoque benignius hæc nobis temeritas condonanda, quod Cl. Mexicani Poetæ memoriam, ad Religionis, Patriæque immortale decus, Posteris, Civibus præsertim nostris voluerimus commendare: quibus dum hæc in pretio certe fore crederemus justo etiam fortasse longiores



res aliquanto fuimus. Ad ejus denique tumulum, tot a Patria leucarum millibus dissitum, cum lacrymis consitentes, caros nobis cineres exosculamur, illusque sortem invidemus, quod ex hac iniquissima conditione ereptus, atque æternæ (ut spes est) Electorum societati adscriptus, exilium suum cum beatissima Patria commutavit. Utque Bononiensibus, æque ac Mexicanis perennis illius memoria stet, hæc Viatori legenda ad ejus sepulcrum liceat apponere.

D. O. M.

Hic ex Orbe novo Labbeus jacet, inclyta Vatum

Gloria, Mexiceo par Decus Imperio,

Non hominum curas, vanæ aut deliria mentis,

Vel cecinit tinctos ille cruore Duces.

Altius assurgens, graditur super æthera penna;

Rimaturque oculis abditiora Dei.

Relligio, Pietas, sacrarum & turba Sororum

Vati mœrentes hæc posuere suo.

PRÆ-

PRÆLOQUIUM AUCTORIS



DE DEO, ac Divinis dicere, Lector Benevole, quam sit operosum, & arduum, agnoverunt illi Philosophi, qui cæteroqui minus digne de DEO cogitabant. [a] Ipsamet Divinitatis amplitudo, & incomprehensibilis excellentia humanæ mentis aciem fulgore suo perstringit: adeoque tenebras facit impenetrabiles, & venerabilem circum caliginem offundit. Nihilosecius, in hoc nimirum nati sumus, tantum ut DEUM nostrum cognoscere, & amare, & laudare etiam, pro virili annitamur. Quod ut rite, atque ordine, & ut par erat, facere possemus; lucem, qua regeremur accendit, & quasi facem quamdam, præ manu nobis dedit, in divinis Libris, benignissimus DEUS. Et vero (b) *Quid dignius omni*
Et cura, & studio, & nostræ conamine mentis,
Quid si metimur vires magis arduum, & audax,
Quam rem infinitam brevibus compreendere chartis?
Rem, caussam rerum, veram Rem.

Et tamen vidi ego neminem, qui de DEO, & *Attributis*, ut ajunt, singillatim, heroica scripserit. Quod propterea ego fieri desiderabam, quia carmina illa pondere suomet, & quasi ingenita magniloquentia, rebus divinis tractandis accomodatissima mihi esse videbantur.

(a) *Roges me: Quid, aut qualis sit Deus? Auctore utar Simonide: de quo cum quæsivisset hoc idem tyrannus Hiero; deliberandi caussa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postridie quæreret; biduum petivit. Cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero quæreret: cur ita faceret?* Quia quanto, inquit, diutius considero; tanto mihi res videtur obscurior. *Cic. de nat. Deor. L.* I.

(b) *Antilucr. L.* I. *v.* 3.

(c) *Laudate eum in sono tubæ:*
Bene psallite ei in vociferatione:

De DEI Filio, & Servatore nostro JESU-CHRISTO scripserunt heroica multi. Præ cæteris autem merito suo, & communi eruditorum suffragio palmam tulerunt *Marcus Hieronymus Vida*, & *Actius Syncerus Sannazarius*: quibus nihil est ad veterum Poetarum, nominatim *Virgilii* majestatem, proximius. Scio quæ passim nuperi, & severiores Critici in ipsis reprehendunt. Neque excuso omnia. Sed tamen laudandos magis, quam reprehendendos esse existimo Viros præclarissimos, qui primi omnium Latinam elegantiam, Religioni ut famularetur, arcessere, ea canere aggressi sunt,

Castaliis quæ nunquam audita sub antris
(d) *Musarumve choris celebrata, aut cognita Phœbo.*
(e) *Nulla erat ante via: prærupta, atque aspera saxa;*
Et densi late obducebant omnia vepres.

Neque vero tam sum ego temerarius, & excors, qui crediderim posse de penu meo exhibere meliora, & par Poetarum, quos post literarum instaurationem tulit *Italia* nobilissimum, ingenii mei (quod profecto sentio quam sit exiguum) viribus superare. Sed (ut semel omnem consilii mei rationem aperiam) cum sublimitatem incomparabilem, & in dicendo vim prorsus divinam *Scripturarum* tacitus mecum meditarer; existimavi rerum divinarum tractationem successuram felicius, siquis divinis libris, quoad fieri posset, inhærendo; non tam sua, quam divina, carmine loqueretur. Et huic nimirum ego proposito exsequendo totus incubui, & nervis omnibus contendi. Ac de verborum cultu, & elegantia (quam si minus assequutus; certe ubilibet consectatus sum) suo quisque judicio libere uta-

(c) *Ps.* 150. *v.* 3. *Ps.* 32. *v.* 3.
(d) *Sannaz.* Lib. 2. *de Partu Virg.* v. 301.
(e) *Vida*. Hymn. 1. v. 13.

utatur, nihil enim impedio. Quod autem ad sententiarum dignitatem spectat, cum fere omnia e divino *Scripturarum* penu deprompserim; videor mihi habere, cur diffidam minus.

(f) Huic tertiæ editioni, non solum ea omnia, quæ in secunda, sed alia bene multa de novo sunt addita: & præterea rursus omnia ad incudem, & ad limam revocata, & implorato Eruditorum complurium judicio, castigata omnia severius, & impensius, quoad potui elaborata: ut nunc demum id quod animo destinaveram: [Dogmata præcipua omnia, adeoque Theologiam fere omnem, sinceram illam quidem ac genuinam carmine includere) pro virium mearum tenuitate, perfecisse jam videar. Quod præstiterunt olim *Juvencus*, *Prudentius*, *Sedulius*, *Nonius*, multoque his, & sanctitate vitæ, & doctrinæ excellentia præstantiores *Paulinus*, *Damasus*, *Prosper*, *Nazianzenus*, Religionem nimirum Carmine decorare, atque etiam defendere; id ætate hac nostra, cum ii, qui *Philosophorum* nomen sibi arrogant, Religionem carminibus impetunt, & conditum Poeticæ lenociniis venenum spargunt ambitiosissime, non jam solum conducibile, sed quodammodo visum mihi est esse necessarium.

Et nunquid Poetæ necessaria fictio? Ajo enimvero, si *fictionis* nomine, Naturæ imitationem intelligas, tam vivis coloribus expressam, ut res non tam dici, quam coram fieri, & cerni oculis videantur.

(g) *Non tantum ut dici videantur, sed fieri res.*
Unde ipsis nomen Graji fecere Poetis.

Hoc autem quia difficile admodum est; ideo Poetæ paucissimi sunt: etsi versuum fabricatores fuerint omni ætate innumerabiles.

Neque enim concludere versum
(h) *Dixere esse satis.*

Quod

(f) *Leg. vit. Auct.*
(g) *Vida* Lib. 2. Poet.
(h) *Horat.* Lib. 1. Sat. IV.

Quod si alioversum, ut communiter fieri solet, fictionem accipias pro fabula, aut commento aliquo, cerebro excusso, & ad libitum excogitato; tum vero assentior *Palingenio* (apud *S. Aubin L.* 1. *c.* 5.) reprehendenti eos,

Qui solas tribuunt fabellas Vatibus, ac si
Vera loqui fœdumque foret, vetitumque Poetis.
Horum ego judicium falsum, ac damnabile duco:
Nilque mihi melius, nil dulcius esse videtur
Quam verum amplecti: vetulis, puerisque relinquo
Has nugas... Pudet ah! pudet esse Poetam,
Si nugis opus est puerilibus inservire,
Et jucunda sequi, spreto mendacia recto.

Nihilominus ut communi opinioni morem gererem, fictionem induco simplicissimam, affinemque iis, quas identidem *Ovidius* in *Metamorphosi:* Poesim acerbius flentem, captivam se, & servitio profano addictam: cui videlicet consolandæ, & quasi in dignitatem pristinam restituendæ, Carmina omnia destinata sint.

Neque ego video ecquod aliud fictionis genus ordiri possit quis; quin Sanctissimæ nostræ Religionis mysteria deterat. Exemplo, & documento mihi sunt iidemmet Poetæ duo præstantissimi, de quibus superius. Quorum alter *Mythologiæ* ridiculariis plus justo delectatus; sacra profanis fœde miscuit: alter Sanctos *Josephum* & *Joannem* totis libris tertio, & quarto Christiados, introducit narrantes *Pilato* mysteria altissima Conceptionis, Nativitatis, ac Vitæ JESUCHRISTI, ut mortem illi deprecarentur. Quod nescio, an ulli justo rerum æstimatori placere queat.

Quocirca fictionem optavi ego, quæ in hæc, aut his affinia non impingeret: in id præcipua quadam, & eminentiore cura intentus, ut veritatem divinam ne læderem; sed ut pro mea tenuitate adornarem: utque solatium aliquod, ut ita dicam, Religioni procurarem, nunquam fortasse magis, quam ætate hac nostra libris exsecrabilibus audacissime impetitæ.

Quanta

Quanta potui adhibita diligentia, Latinitatis Patres; Auctores ætatis, ut Eruditi loquuntur, aureæ, & argenteæ sequutus sum, quos triginta jam annos in deliciis habeo. Sicui vox aliqua, aut vis, & significatio, quam voci attribuo, aut constructio, & orationis ductus aliquis scrupulum moverit; id primum peto, ut ne temere, & sine discussione sententiam ferat, deinde ut erroris certo deprehensi me admoneat. Siquidem ego & amice admonenti gratiam habebo, & errorem agnoscam, & emendabo libentissime. Postremo, ut ante etiam, quam te, Lector humanissime, lectioni accingas; ad typorum mendas, quæ postrema pagina emendantur, animadvertas. Et hæc habui, quæ præloqui operæ pretium, & necessarium existimaverim.



THO.

THOMAE SERRANI VALENTINI
ACCADEMICI ROBORETANI
JUDICIUM.

Sicuti suum judicium sincere exponere, ac libere unquam licuit, mihi nunc certe licet. Cum enim rogatus sum, ut Cl. Labbei opus legerem, & quid in eo placeret, quid displiceret, candide aperirem; nibil dum Auctoris videram, nibil de illo audiveram; sic ut ignotus mihi plane esset. Ut igitur librum in manus sumpsi, majestatem quidem argumenti, & dignitatem non potui non admirari. At verebar, ut hoc nostro in sæculo, etsi erudito, esset Poeta ullus, qui tanto, & tam divino argumento par esse posset. Itaque cœpi attente opus evolvere, & prima carmina sic legi, ut nonnihil diffiderem de felici ignoti mihi Auctoris successu. At nescio quomodo fiebat, ut quo magis, & attentius legerem, ita carminis suavitas, vis, gratia me magis, ac magis alliceret; donec paullatim in admirationem divini poematis (nihil affingo veritati) totum raperet. Quid plura? Tam avide totum pöema percurri, ut librum e manibus non deposuerim, donec ad finem illius devenirem. Tum vero, quin gaudium meum possem diutius continere; illud cum amicis comunicare, Poetam in cœlum ferre, opus absolutissimum, & hac præsertim tempestate valde necessarium prædicare. Tentaverant quidem antea nonnulli, ijdemque Clarissimi Poetæ ejusdem argumenti partem, & si nævi aliquot illis condonentur, jure optimo probandi. At qui totum tam prudenter animo conceperit, tam eleganter explicaverit, tam modesto, eoque qui rem tantam decebat cultu ornaverit, ego quidem vidi neminem. Nihil hic Poeta alienum, nihil profanum, nihil ineptum permiscet; & ut qui Musas colat

senio-

ſeveriores, omnia ſacra, ac pene divina, & ex ipſo Scripturarum divino penu, ſive e Theologiæ Sacrario depromit. Verbo: Si ipſa Pietas ſuo ore loqui vellet, vix alijs verbis, ac ſententijs uteretur. Nec puto, rem me lectoribus ingratam facturum, ſi ipſam Pietatem, qualis mihi inter legendum identidem ante oculos obverſari videbatur, loquentem induxero. An ſatis eleganter, neſcio; at plane ex vero me illam inducere, totum poema, ut mihi videtur, vere elegans, pium, divinum teſtimonio erit. Verſiculi autem, quibus Pietatem loquentem inducere placuit, ſunt hi

Labbei Pietas legens libellos
Pios, & faciles, & elegantes,
Sed & grandiloquos, & eruditos;
Piarum mera mella Gratiarum;
Suas delicias, ſuos amores
Admirans; ter ut ore baſiavit,
Dixit: vos eritis mei calores,
Suaves, melliflui, pij calores,
Quos divinus Amor ſuos vocarit;
Illorum ſimiles, quaſi & gemelli,
Queis uſſit nova corda Apoſtolorum
Tum cum ruſticuloſque, ſimpliceſque
Lex amoris haberet ut magiſtros,
Diſertos facere, & pios volebat.
Digni, quos recinant Chori beati
Illi, vertice, qui in ſacro Sionis
Cantantes cytharis, ſequuntur Agnum.
Et mox alma ſuo in ſinu recondens,
Vos pro lacteolis mihi papillis
Eſte, o nectarei, novi libelli.
Seu quid dulcius eſt, ſuaviuſque.
Felices ſatis, oh! ſatis beati,
Qui vos mente pia, & pijs ocellis
Legent, & relegent, pioſque ſenſus
Milleno capient litos ſapore;

Qua-

Qualem de pluvio ante Solis ortum
Cœli rore legebat illa quondam
Gens electa, Deo parum fidelis.
Hæc, & talia mille dixit alma,
Labbei Pietas legens libellos
Pios, & faciles, & elegantes,
Sed & grandiloquos, & eruditos,
Piarum mera mella Gratiarum.



AR-

ARGUMENTA

I.

Poësis Origo, finis, luctus. a v. 1. *ad* 27. *Propositio*. a 28. ad 30.

Invocatio. a 31. ad 44.

Deum esse manifestum fit ex ipsa rerum creatarum structura, & unanimi gentium omnium consensu, a 45. ad 62.

Polytheismi, *Præsertim Romani irrisio*. a 69. ad 100.

Deus est unus. a 101. ad 125.

Deus est Qui est, *& omnifariam perfectissimus*. a 126. ad 145.

Deus est Trinus. a 146. ad fin.

II.

Seraphim ter Sanctum cantu prædicant Deum. a v. 1. ad 16.

Deus in se Sanctus omnimode. a 17. ad 30.

Lex Dei sancta. a 31. ad 44.

Domus Dei sancta. a 45. ad 52.

Deus nos ab origine inquinatos mundat, & sanctos efficit. a 53. ad 86.

Sanctos coronat Gloria. ab 87. ad fin.

III.

Excelsiora omnia ad Deum comparata nihil sunt. a v. 1. ad 21.

Dei Majestas. a 22. ad 59.

Arcana Dei non investiganda a 60. ad 92. *Sed illius Bonitati, ac Misericordiæ acquiescendum*. a 93. ad 119.

Timor Dei habendus; maxime autem amor. a 120. ad fin.

IV.

Rerum omnium, sub Luna inconstantia, & vicissitudo. a v. 1. ad 20.

Solus Deus est Immutabilis, & Æternus. a 21. ad 56.

Homines, & humana, caduca omnia. a 57. ad 84.

Deus etiam mente immutabilis. a 85. ad fin.

V.

Amare absentem miserabile, & tristissimum est. a v. 1. ad 14.

Amare

Amare Deum, qui abesse non potest, dulcissimum. a 15. ad 37.

Nihil est, quod nos possit separare a Deo. Nunquam nos deserit Deus, neque in Vita, neque in Morte. a 38. ad fin.

VI.

Amare vehementer hominem tormentum est. a v. 1. ad 18.

Nusquam requies cordi nostro, nisi in Deo. a 19. ad 23.

Deus unus amat nos. a 24. ad 33.

Beneficia in nos Dei magis obvia. a 34. ad 48.

Dominatio in creata omnia a Deo Homini attributa a 49. ad 98.

Terra bono nostro divitiis innumeris ditata. a 99. ad 131.

Beneficia potiora: Humani generis reparatio per Christi mortem. Eucaristia. a 132. ad fin.

VII.

Plerique hominum cogitatione sibi fingunt severissimum Deum; cum sit benignissimus. a v. 1. ad 15.

Auditurum se spondet preces nostras. a v. 16. ad 33.

Orando Josue stare facit Solem, & Lunam. Orando Elias pluvias abigit, &c. a v. 34. ad 55.

Cur nos interdum Deus non audiat. a 56. *ad* 60.

Quanta benignitate audierit Abrahami orationem. a v. 61. ad 97.

Neque solum Sanctos, sed sceleratos etiam ad se revertentes Deus excipit benignissime. a v. 98. ad fin.

VIII.

Die

1. *Creatio* Abyssi, *& Lucis, & Angelorum.* a v. 1. ad 11.
2. *Creatio Cœlorum.* 12. ad 15.
3. *Aquarum congregatio. Terræ subitaria ubertas.* a 16. ad 34.
4. *Solis, ac Lunæ & stellarum creatio.* a 35. ad 56.
5. *Creatio Avium, Piscium &c.* a 57. ad 77.
6 *Creatio Hominis.* a 78. ad 103.

Fœmina e Viri costis fabricata. a 104. ad fin.

IX.

Omnia in sapientia fecit Deus. a v. 1. ad 8.

Philo-

Omnia in sapientia fecit Deus. a v. 1. ad 8.

Philosophiæ, & sapientiæ humanæ imbecillitas, & audacia. Terra modo stans, modo errans, modo rotunda, modo instar ovi, modo instar cæpæ mutans habitus, quasi luderet bacchanalia. a 9. ad 61.

Nihil scimus, ne quidem stellarum vera nomina, & ne quidem ea, quæ quotidiano usu familiarissima nobis sunt. a 65. ad fin.

X.

Deus omnium est & Pater, & Dominus. Omnia curat. a v. 1. ad 23.

Homines autem præcipua quadam, & magis paterna providentia complectitur. a 24. ad 53.

Futura, præterita, præsentia prospicit, & pro nutu temperat. Vindex Piorum est, & eversor impiorum. a 54. ad 122.

Sinit interdum Pios affligi, prosperari impios, Cur hoc? a 123. ad fin.

XI.

Angelos, Custodes, & Pædagogos nostros constituit Deus. a v. 1. ad 8.

Quam sit nobis salutaris custodia hæc, & quantis nos periculis ignaros eximat. a 9. ad 47.

Officia Tobiæ juniori exhibita ab Raphaele Archangelo. a 48. ad 70.

Officia Angeli Custodis, hora mortis postrema, & decretoria. a 71. ad fin.

XII.

Flagitiorum, quibus Deum homines ad iracundiam provocamus, compendiaria recensio. a v. 1. ad 47.

Indignatio. a 48. ad 50.

Infinita Dei Patientia. Cunctatio ad puniendum. Facilitas ad ignoscendum. a 51. ad 109.

Et tamen, ex quo Deus Homo factus est, tardior est ad puniendum, facilior ad ignoscendum. a 110. ad fin.

XIII.

Deus est verax, & Justus; neque respicit personas, sed merita. a v. 1. ad 25.

Quo tardior est ad puniendum, eo est terribilior. a 26. ad 38.

Carceris inferni descriptio. Pœnæ, quæ ibi exercentur. a 39. ad 83.

Pœna, quam Theologi damni *vocant acerbior omnibus*. ab 84. ad 97.

Gloria, & præmia parata Piis. a 98. ad fin.

XIV.

Exsibilaremus eum, qui non jam formosum hominem, sed illius umbram deperiret. Nos plerumque idem facimus. Dominum obliviscimur, umbras sectamur. Femina ruina generis humani. a v. 1. ad 42.

Pulchritudo corporis ab Anima. Animæ pulchritudo stilla quadam est divinæ pulchritudinis. a 43. ad 71.

Hæc tanta est, ut beatos faciat eos, qui intuentur coram, & vel sola spe aliquando videndi rapiat. a 72. ad fin.

XV.

Hiemis in Europa rigor. a v. 7. ad 11.

Ejusdem in America benignitas. a v. 11. ad 25.

Deus solus ubertatis Auctor. a 25. ad 48.

Tonitrua, fulgura, & grando. a v. 48. ad 73.

Nix, frigus, pluvia. a v. 73. ad 106.

Maritima procella. a v. 106. ad finem.

XVI.

Flendo nascimur, flendo morimur omnes. Mortalium nemo est felix. a v. 1. ad 39.

Obruimur malis, quasi fluctibus. a 47. ad 59.

Refugium in solo Deo est. Potest ille ventis, & fluctibus tranquillitatem verbo facere: & de ventre Cete incolumem repræsentare. Potest Leonibus ferocitatem adimere. Potest in fornacem ardentem conjectum refrigerare, & oblectare. a 60. ad 93.

Potest vires addere, quibus, & flammas, & mortem contemnamus. a 94. ad fin.

XVII.

Urbs, quam Dominus non tuebitur, corruet; quam tuebitur, perennabit tuta. a v. 1. ad 10. *Exer-*

Exercitus Assyriorum deletus sub Ezechia. David puer inermis triumphans de Philistæo. ab 11. ad *61.*

Frequentissimum est, fortiores vinci ab infirmioribus. a *62.* ad *92.*

Præclarissima victoria Joannis Austriaci de Turcis ad Naupactum, a *93.* ad fin.

XVIII.

Bella, & prælia vulgare omnino, atque ignobile quid sunt. a v. 1. ad *39.*

Scientiæ, & Artes omnes a Deo sunt, etiam illiberales, a 40. ad 80.

Scribendi Ars, Dialectica, Metaphysica a Deo manant. a v. 81 ad 101.

Item Geometria, Algebra, Mechanica. &c. a 102. ad 211.

Etiam inventa ea, quæ nobis videntur fortuita, in quibus Medicina. a 202. ad *236.*

Etiam Juris Prudentia. a 237. ad 277.

Theologia utraque. a 278. ad 327.

Poetica. a 328. ad fin.

XIX.

Latebræ humani cordis impenetrabiles hominibus, imo & Angelis. a v. 1. ad 24.

Uni Deo manifesta sunt arcana cordium. a 15. ad 45.

Solus Deus legem indixit cordibus, quia solus ea intuetur. a *46*: ad *66.*

In die temporum postrema, secreta cordium denudanda omnia, & Orbi universo palam facienda sunt. a *67*. ad fin.

XX.

Quia portentis continuatione assuevimus, & nihil movemur; miraculis interdum, socordiam nostram excitat Deus, a v. 1. ad 17.

Virga Mosis. a 18. ad 31.

Plaga Ægypti 1. *Nilus versus in sanguinem*. 2. *Ranæ.* 3. Sciniphes. 4. *Musca*. 5. *Pestis pecorum*. a 32. ad 74.

Plaga 6. Ulcera. 7. *Tonitrua, grando, fulgura*. 8. *Locusta*

custa. 9. *Tenebræ densissimæ.* 10. *Clades Primogenitorum.* a 75. ad 136.

Pharao cum exercitu submersus. a 137. ad fin.

XXI.

Hominum in divinandi arte deliria. a v. 1. ad 28.

Solus Deus futura prævidet. a v. 28. ad 36.

Prædictiones Jacob, Joseph &c. a v. 36. ad 67.

Jeremiæ, & Danielis. a v. 67. ad 130.

Jesu Christi ortus, vita, mors a Vatibus prædicta. a v. 130. ad 188.

Hebræorum status ab iis prædictus oracula confirmat. a v. 188. ad fin.

DEUS HOMO.

XXII.

Jam tum cum Deus orbem condidit, præludebat Christo venturo. a v. 1. ad 14.

Oracula præclariora de reparatione humani generis per Christum. a 15. ad 44.

Gabriel Archangelus ad Virginem a Deo missus. a 45. ad 73.

Deus in utero Virginis homo factus. a 74. ad 109.

Domus Nazareth ad Picenum ministerio Angelorum translata. a 110. ad fin.

XXIII.

Toto Orbe in pace composito, in obsequium nascituri Jesu, MARIA Virgo venit Bethleem, & in stabulo hospitatur. a v. 1. ad 26.

Ibi Virgo manens in lucem edidit Servatorem. a 27. *ad* 38.

Genethliacum Puero. Oracula insigniora de pace per Christum. a 39. ad 68.

Congratulatio Matri. Prædictiones celebriores in Scriptupturis de Deigenitrice. a 69. ad 95.

Bos. Asellus. Pastores. Descriptio floris, quem Mexicani vocant de la Passion. *Vaticinium Sybillæ Cumeæ de Christi Nativitate.* a 96. ad fin.

XXXIV.

XXIV.

Sanguine voluit Jesus, Jesu nomen sibi comparare, & morti suæ quasi præludere. a v. 1. ad 29.

Nomina magnifica in Scripturis J. C. attributa, quæ quidem omnia Jesu nomen complectitur. Quam sit dulce hoc nomen, & Salutare ægris. a 30. ad 73.

Dæmonibus formidabile. a 74. ad fin.

XXV.

Gentes illuminantur; Judæi obcæcantur: Et quem Regem diutissime, atque avidissime exspectabant, detrectant. a v. 1. ad 30.

Reges tres, ductu sideris, Hierosolymam eunt. Perturbatio Herodis, & dissimulatio. Inventum Puerum adorant, dona offerunt. a 31. ad 86.

Gentes omnes sidere illo vocatæ sunt, ab 87. ad fin.

XXVI.

Et Puer, & Mater sponte sua submittunt se legi. a v. 1. ad 8.

Simeonis senis. Puerum ulnis suis excipientis lacrimæ præ gaudio. Vaticinatio, & mors placidissima. a 9. ad 40.

Herodis immanitas in Pueros. Luctus Rachel. Diræ in Herodem. a 41. ad 88.

Fuga in Ægyptum. ab 89. ad 100.

Puer annorum duodecim amissus; recuperatus. a 101. ad fin.

XXVII.

Subditus illis. *Annales Vitæ privatæ J. C.* a v. 1. ad 27.

In stabulo natus, Affixus cruci, signis evidentissimis manifestat se Deum. Nunc autem prorsus latet Deus, & hoc unum præ se fert; Subditus illis a 28 ad 46.

Arbiter Orbis, & Rex Regum, & Lux Mundi est. Et tamen oculis hominum nihil est præterquam Subditus illis. a 47. ad 65.

Quid hac tam profunda sui demissione nos doceat. a 66. ad fin.

XXVIII.

Jesus baptismo Joannis abluitur. Jordanis gloriatio. a v. 1. ad 27.

Permittit tentari a dæmone. a 28. ad 60.

Vocat Apostolos, & e Piscatoribus facit Orbis Magistros. a 61. ad 76.

Illuminat cæcos natos. 77. ad 88.

Illuminat mentes doctrina. ab 89. ad 119.

Puer, & Anus rudimentis doctrinæ Christianæ imbuti; sapientiores longe sunt, quam cuncti Philosophi Græciæ. Præcipua capita doctrinæ Jesu Christi. a 120. ad 160.

Jesus transfiguratur. a 161. ad fin.

XXIX.

Nemo mansuetior, aut affabilior Jesu fuit. Dominus vitæ & mortis neminem damnavit morti. a v. 1. ad 16.

Adultera. a 17. ad 36.

Samaritani inhospitales. a 37. ad 48.

Zacchæus, Samaritana, Magdalena. a 49. ad 109.

Etiam expirans animam, postulat ut inimicis suis Pater ignoscat. a 109. ad fin.

XXX.

Amabilitas, & Boni Pastoris sollicitudo in quærenda ove perdita. a v. 1. ad 26.

Boni Pastoris cantilenæ. a 26. ad 55.

Septem Sacramentorum institutio, sub Allegoria Pastoris Boni. a 56. ad fin.

XXXI.

Jesu Christi Hierosolyma intrantis triumphus, a v. 1. ad 45.

Christi miracula, tanquam si a turba circumfluente, & ab iis ipsis, quorum bono facta erant, præcinerentur. a 46. ad fin.

XXXII.

Amoris ergo, Jesus, manibus suismet lavat, & tergit pedes Discipulis. a v. 1. ad 22.

Exempla profani amoris celebratiora in Eucharistiæ institione sordent omnia. Eucharistiæ institutio. a 23. ad 53.

Admonetur Jesus, quasi nesciret, quam sint homines ingrati, & perfidi. a 54. ad 73.

Adhuc

Adhuc autem amat nos, perinde, imo & inpendio magis quam Mater amat filium. Sacramenti Ordinis institutio. a 74. ad fin.

XXXIII.

Iter in Gethsemani hortum. Admonetur Petrus futuræ imbecillitatis. Abnuit, gloriatur. Jesus patiendi desiderio mærorem etiam sponte sua subire voluit. a v. 1. ad 35.

Caussæ mæroris. a 36. ad 55.

Christi oratio ad Patrem. Caussæ aliæ secretiores angoris, & mæstitiæ. Sudor sanguineus. a 56. ad fin.

XXXIV.

Judæ perfidia. Diræ in ipsum. a v. 1. ad 22.

Jesus procedit obviam hostibus. a 23. ad 38.

Comprehenditur. Colapho cæditur. Ducitur ad Caipham: Oculos obnubitur. Irridetur. Petri imbecillitas. a 39. ad 79.

Jesus ducitur ad Pilatum. Calumniantur accusatores de seditione. Transmittit Jesum Præses ad Herodem. Silet Jesus, illuditur, remittitur ad Præsidem. Nititur Præses Jesum liberare. Præoptant Judæi Barabbam. Diræ in ipsos. ab 80. ad 159.

Verbera, & ludibria barbara. Præses timore victus, dat Jesum morti. a 160. ad 183.

XXXV.

Dominatrix & quidem superbissima mortalium omnium Mors est. a v. 1. ad 14.

Jesus vero Dominus Mortis est, etiam moriendo. Postrema morientis verba. a v. 15. ad 66.

Centurio agnoscit Deum. Divisio vestium. Ossa Agno non frangenda. a 67. ad 82.

Jesus Primogenitus mortuorum. ab 83. ad fin.

XXXVI

Ingemiscit Orbis, & Auctori suo emorienti parentat. a v. 1. ad 17.

Aspectus miserabilis Dei ad crucem affixi, & lancea confossi. a 18. ad 41. *Dolores, & constantia Matris Virginis.* a 42. ad 54.

Sublatus de cruce, brachiis Matris excipitur. Affectus; lacrimæ. a 55. ad fin.

XXXVII.

Magdalenæ sepulcro anxie inhærenti, ne jam fleat. a v. 1. ad 23.

Quantum superbiverat Mors de Immortalis morte. a 24. ad 43.

Jesus descendit ad inferos, SS. PP. animas carcere illo detentas asserit in libertatem. Mortem debellat. Triumphus. a 44. ad 78.

Canitur Jo. Victori. a 79. ad fin.

XXXVIII.

Manifestat se Jesus redivivum suis quam sæpissime. Magdalenæ obviam fit specie olitoris. a 1. ad 31.

Post dies quadraginta, ascendit in cœlum. Vestigia. quibus postremo institit, saxo imprimit. Orbis lætitia, & plausus. a 32. ad 74.

Occurrunt Angeli obviam, & Regem agnoscunt. Acclamatio Patrum, Davide præeunte. Adami osculo pedum inhærentis affectus. a 75. ad fin.

XXXIX.

Christi Domini Sacerdotium. a v. 1. ad 42.

Idem Sacerdos, & victima. a v. 42. ad 61.

Jesus Christus in Cruce Hostia. a v. 61. ad 82.

Sacrosanctum Missæ Sacrificium. a v. 82. ad fin.

XL.

Humanam, non Angelicam naturam sibi copulat Deus. a v. 1. ad 38.

Angelorum admiratio, & stupor. a v. 38. ad 57.

Sponsi blanditiæ. a v. 57. ad 103.

Sponsæ comitatus, Apostoli, Martyres, Pontifices, Virgines. a v. 103. ad 195.

America ad Fidem vocator. a v. 195. ad 206.

Ecclesia Sancta Arca Noemi. a v. 206. ad fin.

XLI.

Apostoli promissum Spiritum Sanctum postulant, & exspectant. a v. 1. ad 24. *Descen-*

Descendit Spiritus Sanctus. Inflammantur Apostoli, & timere homines dediscunt. a 25. ad 46.

Recensio gentium, quæ ex toto orbe Hierosolyma tum confluxeruut. a 47. ad 81.

Apostoli organa Spiritus Sancti. Apostrophe. ab 82. ad fin.

XLII.

Christiana Religio Mysteriis incomprensibilis est, & morum legibus severissima, a v. 1. ad 111.

Per Orbem universum propagandam asseveravit ipsius Auctor J. C. a 112. ad 121.

Magna miraculorum vi, plantata statim Hierosolymis. a 122. ad 155.

Pauli vocatio. ad 156.

Ab Apostolis Petro, & Paulo Cristiana Religio Romam invecta: ac per reliquum Orbem dilatata per Apostolos. a 167. ad 211.

Apostoli crudelissime interempti. ad 260.

Insectationes Tyrannorum, & Constantini Pax. a 261. ad 349.

Hæresum seditiones profligatæ omnes. Religio per utrasque Americas dilatata. 350. ad 649.

Turbæ posteriores refrenatæ. ad 753.

PIO SEXTO P. M. Acclamatio ad 766.

XLIII.

Mundi finis, & excidium. a v. 1. ad 12.

Tuba ante Tribunal omnes vocantur. a v. 12. ad 53.

Supremi Judicii aspectus, & terror. a v. 53. ad 76.

Locus. a v. 76. ad 92.

Necessitas. a v. 93. ad 149.


Expenduntur delicta. a v. 194. ad 168.

Felix justorum sors. a v. 168. ad 184.

Impiorum supplicium. a v. 184. ad 196.

Conclusio totius Operis. a v. 196. ad fin.

CAR-



CARMEN

DEO NOSTRO.

VEro, unique Deo laudando nata Poesis
Lamentabatur, sese ad vilissima quæque
Captivam, invitamque trahi, dicique parentem
Esse sibi, illacrimans, indignabatur *Homerum*.
Divina sese jurabat origine natam,
Ante suas mendax pareret quam *Græcia* Musas,
Anteque quam *Græcus* foret ulli auditus *Apollo*.
De cælo ad *Mosen* delapsam se esse ferebat,
(*a*) Tum cum magnificum Maris ille in litore carmen
Prorupit, cecinitque Deo, quo vindice, jamjam
Terga premens *Pharao*, flictuque, iraque frementes
Et currus, & equi, tantusque exercitus, instar
(*b*) Plumbi, abiere deorsum, & subsedere profundo.
(*c*) Soli nempe Deo natam se incendere odores,
Turaque, & humanas in cælum tollere mentes.

Ca-

(a) Moyses Homero prior est annis 567.
Tunc cecinit Moyses & filii Israel carmen hoc Domino.
Ex 15. v. 1. Et hæc omnino est quæ prima in Scripturis de *Carmine* mentio fit. Ideoque primam Poesis originem ad Mosen refero.

(b) *Submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*. Ib. v. 10.

(c) *Ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam*, Ps. 70 v. 8.

Captivam prorſus, contrectatamque profanis
(a) Jam manibus, temerare auſis cæleſtia dona,
Traductam ſeſe inſana ad deliria amantum,
Ad conflata meris mendacia anilia nugis,
Ad portentoſa, & vaniſſima ſomnia. Falſis
Ex illo ſe numinibus, fœdiſque ſubinde
Sordibus incaſſum obnixam ſervire coactam.
Hæc memorans, flebat ſine fine: & fuſa pudore
Vultum avertebat retro, manibuſque tegebat,
Conſpectum fugiens hominum, averſataque lucem
Inviſam dudum ſibi jam, mortemque præoptans:
Uſque & acerbabat flendo, urgebatque dolorem.
Siqua ego lugenti poſſem ſolatia ferre;
Vellem mendaces ad vera reducere Muſas,
Rurſus & imbuere alma Relligione Poeſim.
(b) Tu mihi ades, cujus tota eſt Sapientia: mitte
De ſolio ipſe tuo radios, lucemque benignus
Menti da: & mecum fac ſit, mecumque laboret.
Tu modo quæ ſanctis arcana oracula libris
Obſignaſti, aperi, ſeptenaque ſolve ſigilla.
De te dicturus, divinos hos mihi fontes
Optarim. Nam tu ſolus te digna loquutus.
Nec niti huc omnes potuere *Aganippidos* undæ;
Quas & *Romani*, *Græcique* bibere Poetæ.
Incute carminibus vim tu his. Veluti imber in herbam,
(c) Ut ros in gramen, deſcendant carmina in aures,
Quæ te ubivis, nomenque tuum, laudeſque ſonabunt,
Uni-

(a) *Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam*. Judæ v. 4.
(b) *Mitte illam de cælis Sanctis tuis, & a ſede Magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret*. Sap. 9. v. 10.
(c) *Fluat ut ros eloquium meum: quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina: quia nomen Domini invocabo*. Deut. 32. v. 2.
A magnitudine enim ſpeciei & creaturæ poterit cognoſcibiliter creator horum videri. Sap. 13. v. 5.

Unigenæque tui, quem tu mortalibus ægris
Misisti natum de Virgine JESUM CHRISTUM.

UNUS EST DEUS

Ad Rom. 3. *v.* 3.
Pater, *Verbum*, *&* *Spiritus Sanctus*.
Et hi tres unum sunt. 1. Joan. 5. v. 8.'

CARMEN I.

ARtificem magnum esse aliquem, qui sidera, cælum,
Qui mare, qui terras, totumque vocaverit orbem
E nihilo, tantaque aptaverit, ac regat arte,
Sponte sua res nos ipsæ informantque, docentque.
Mente aliqua suprema opus est, quæ dirigat alto
Tot simul astrorum tam constanti ordine gyrum
Tam varium, quin longa adeo turbaverit ætas,
Quominus alternæ redeant noctesque, diesque,
Semper & ad normam circumvolvantur in orbem,
Crescendo semper, decrescendoque vicissim.
Vel detractanti, & fugienti occurrit ubique,
Et se sistit ubique Deus, Jumenta docebunt
(*a*) Hoc te, si nescis, narrabunt hoc tibi muti,
Et stolidi pisces. Nulla unquam hoc ausa negare
(*b*) Gens, vel inaccesso septem subjecta trioni;
Quamlibet averso Sole illac, segnius atræ
Incumbunt super, & regnant lugubrius umbræ.
Vel quæ gens ignota diu, male credita quondam
(*c*)Torreri; nullos æstus, neque frigora sentit,
Vereque perpetuo dives, ditissimaque auri

Est.

(a) *Interroga jumenta*, *&* *docebunt te*... *&* *narrabunt pisces maris*. Job. 12. v. 7. & 8.
(b) *Viderunt omnes populi gloriam ejus*. Ps. 96. v. 6.
(c) Mexicanos indicat.

Eſt: & erat quondam medio ſub Sole tenebris
Obruta: nunc totis & luce, & Sole fruuntur.
Non homo, ſed ſtipes, ſed dura, & inhoſpita rupes,
Qui nullum ſentit, nullum qui Numen adorat.
Peccarunt homines contra, nec mitius. Unum
(*a*) Diviſere Deum in plures, deliria quæque,
Fabellaſque anuum pro religione ſequuti.
Non tot, cum fluctus tollit Mare, ſubrigit algas:
Nec tot in immenſo exiguæ ſunt litore arenæ:
Nec totidem viles herbæ naſcuntur in agris,
Quot ſibi ſtulti homines fecerunt numina, quotque
Ridiculoſos invexere deoſque, deaſque,
Queis deridendis nulli ſatis eſſe cacchinni.
Ipſe Pater Divum, qui fulmina librat ab aure,
Infames paſſim rixas, & jurgia miſcet.
Ut miſcere ſolent multa vi cornua *Tauri*,
Quis nemori imperitet, quem bacula pulchra ſequatur.
Taurus & interdum, interdum fit *Jupiter* imber
Aureus: interdumque etiam plumeſcit, & alis
Prædatricem *Aquilam*, aut album mentitur *Olorem*
Subdolus: incaſſumque eadem conjuxque, ſororque
Anxia circumfert ſeſe, perque omnia verſat.
Ingenioſa viro (fas hoc dixiſſe) libido eſt,
Nataque adulterio *Jovis* eſt bona turba deorum.
Tu quoque mutaris torve, *Neptune*, juvenco,
Virginis Æoliæ maleſano captus amore.
Et te, *Phœbe*, palam citharamque, deumque profeſſum
Caſta magis fugiens horret *Peneia Daphne*.
Quid *Venus*, & genitus *Maja*, & redimite corymbis
Bacche tu? At huic cœno piget ultra hærere, pudetque
Hæccine propudia, hæc monſtra, hæc portenta colebat
Roma?

(*a*) *Mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentum*. Ad Rom. 1. v. 23.

Roma? Ah probroſa humanæ deliria mentis!
Et quorum pupos bimos, pupaſque puderet.
Uſque adeo niſi ſancta Deus ſua lumina porgat;
(a) Nos homines ſuper his miſere inſanimus, & ipſum
Naturæ ingenitum tardamur cernere lumen.
Nonne dii plures altercarentur utrinque.
(Quandoquidem non mens una eſt, non una voluntas)
Utro poſſet uter plus? Qui non omnia poſſit;
Non erit ille Deus. Fac omnia poſſit uterque:
Eſſe pares omnes. Pejus: tum viribus æquis
Concurrent, luctabuntur, poteruntque viciſſim
Alternas rapere, & raptas avertere prædas.
Conflictu hinc, atque hinc tanto male diditus orbis
Debuerat vaſtam dudum traxiſſe ruinam.
Ceu *Troja* in cineres, abiit fundo eruta, tum cum
Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo.
Mimica ſunt iſthæc. Et qui fecere gregales,
Riduculos fecere deos. Unus ſit oportet
(b) Rex, Auctor rerum, quo præſide cuncta gerantur:
Omnia cui ſubſint cœlo, terraque, marique:
Quique regat ſolus quæ fecerit omnia ſolus.
Si plures; nullus Deus eſt. Similemve, paremve
(c) Haud patitur. Nullum eſt, duo ſi ſint numina, numen.
Neſcia quo rueret, cum plures extulit; omnes
Cæca ſuperſtitio temeraria ſubruit aras.
Non ſecus ac nauta interdum male providus urget
Ad ſcopulum proram, tota quem mente cavebat
Sollicitus. Gemit abruptis compagibus alvus

Undi-

(a) *Nam & ſiquis conſummatus fuerit inter filios hominum, ſi ab illo abfuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.* Sap. 9. v. 6.

(b) *Dominus Deus noſter Dominus unus eſt.* Deut. 6. v. 4. *In manu tua virtus, & potentia: in manu tua magnitudo, imperium omnium.* 1. Par. 29. v. 12.

(c) *Non eſt ſimilis tui Deus in cœlo deſuper, & ſuper terram deorſum.* 3. Reg. 8. v. 23.

Undique, & errori insultans ruit undique pontus
Fervidus, absorbetque una navemque, virosque.
Mens mera, sublimis, supremaque, *Spiritus* inquam
(a) Est Deus: haud ullo, veluti nos, corpore cretus,
Qnod queat aut manibus contingi, oculisve videri
Humanis: neque fas illum comprendere mente.
Non plus, quam parva mare circumscribere concha
Immensum, aut stellas digito deducere cœlo.
(b) Magnificum hoc illi nomen *Qui est*. Scilicet ille
Ab sese est, & erat jam tum quando omnia quotquot
Sunt, nihili tenebroso, intricatoque profundo
Obruta erant, unusque est, qui non cœperit unquam
Esse, & qui fuerit retro, æternumque sine ullo
(c) Principio, semperque erit idemmet sine fine.
A quo cunctarum surgunt exordia rerum:
Cunctaque sustentata manu constantque, manentque.
Quo sine nec folium queat abripi, & arbore labi,
Nec vulsus nostro cadere ullus vertice crinis.
Unus sufficiens sibimet, nihil indigus extra:
Mire autem bonus erga nos, ultroque benignus.
Nil aut optare, aut poteris confingere majus,
Nil simile: est que adeo, quoniam ille est Optimus Unus.
(d) Sed non propterea est Deus insœcundus, & orbus.
Non ita. Quippe Pater Deus est, & compare gaudet
Progenie: estque iterum compar Genitoque, Patrique
Quod sanctum spirat Flamen Genitusque Paterque.
Arcanum o! Mysterium inenarrabile linguis!
Cum non sint plures, sit cum Deus unus, & idem;

Est

(a) *Spiritus est Deus* Joa. 4. v. 24. *Quem nemo hominum vidit, sed nec videre potest*. 1. ad Timot. 6. v. 16.
(b) *Sic dices filiis Israel: Qui est misit me ad vos*. Ex. 3. v. 14.
(c) *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens*. Ad Hæbr. 7. v. 3. *Habitans æternitatem*. Isa. 57. v. 15.
(d) *Si ego, qui generationem cæteris tribuo sterilis ero, ait Dominus Deus tuus?* Isa. 66. v. 9.

Est Pater, est Genitus, Sanctus quoque Spiritus ipse est.
Suntque hi tres unum, & numero Deus impare gaudet.
Omnino ingenitus Pater est, & originis expers.
(a) Filius æternum genitus, genitusque hodie dum
A Patre est, alta dum semet mente tuetur:
Proptereaque Patris *Verbum* est, & vivida *Imago*:
Prorsumque est Patri æqualis, Patrique coævus,
Deque Deo verus Deus, ac de Lumine Lumen:
(b) Est & uterque æque Omnipotens, Æternus uterque.
Omnipotens Æternus item est qui Spiritus almus
(c) A Patre, & Verbo procedit tamquam ab eodem
Principio sine principio. Non filius ille,
Nec genitus; Deus est tamen, & spirabile Numen,
Et Pattis, & Gnati dia Aura, reciprocus ardor.
Nec tres Dii, tresve æterni, rerumque potentes
Sunt, aut ttes Domini. Quin contra, est ut Deus unus;
Una est Majestas, eademque potentia, & unus
Quotquot sunt rerum, celsi & Moderator Olympi.
Sed quid ego hæc balbutire impurissimus ore?
Aligeri Juvenes, celeres sine corpore mentes,
Qui te, Trine Deus, tremebundi, & cernui adorant;
Cantu concelebrant ter sanctum, plura nec audent.

SANCTUS SANCTUS SANCTUS DOMINUS DEUS.

Isa. 6. *v.* 3. *Apoc.* 4. *v.* 8.

CARMEN II.

AUdiit *Esaias* sacrum hunc pæana canentes
Cælestes illos Genios, quibus undique senæ

(a) *Egressus ejus ab initio a diebus æternitatis* Mich. 5. v. 2. *Ego hodie genui te*. Ps. 2. v. 7.
(b) *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt*. Joa. 16. v. 15.
(c) *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Joa. 15.

Surgebant alæ: velabant ora duabus,
Velabantque pedes binis, biniſque volabant.
Audiit ingeminatum ipſum hunc pæana *Joannes*,
Alternans cælo exilium, *Pathmoque* beatus.
Et quamvis alias ſibi tum ſumpſere figuras
Aligeri, ſpeciemque aliam, vultuſque ferebant
Hic *Hominis*, *Bovis*, atque *Aquilæ* illi, atque ille *Leonis*;
Carmen idem; ſanctumque melos ſimul ore ſonabant.
(a) Hoc indefeſſi ingeminant noctesque, dieſque,
Et numquam cantu ceſſant nec voce quieſcunt.
Cum ſint innumeræ, quas poſſint dicere laudes;
(b) Prætereunt alias, placet hanc iterare canendo.
Scilicet hæc tua Sancte Deus divina voluptas,
Hoc te delectat carmen, laudumque tuarum
Hoc tu præ reliquis acroama libentius audis.
Sanctus es, & *Sanctus* rurſumque, iterumque vocari
Mavis, quam *Sapiens*, *Immenſus*, quidquid & omne es.
Quin malles non eſſe Deus, Sanctuſque manere,
(c) Si quis non ſanctus, ſi quis Deus improbus eſſet,
Quales mentita eſt, & quales eſſe volebat
Fœda ſuperſtitio, ſtultaque adolebat acerra.
Ante ſuperfuſæ genialia fœdera jungant,
Cumque intermixtis habitent ſimul ignibus undæ,
Ante ſuperſedeant odiis, ſeſeque viciſſim
Pellere dediſcant lucem nox, luxque tenebras:
Ante ſuis & cardinibus, ſuo & axe revulſum
Præcipitabit in ima ferens ſe Tartara Cælum;
Quam te, ſancte Deus, tangant contagia culpæ,
Quam

Seraphim ſtabant ſuper illud; ſex alæ uni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant. Iſa. 6. v. 2.

(a) *Et requiem non habebant die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Apoc. 4. v. 8.

(b) *Magnificentiam gloriæ Sanctitatis tuæ loquentur.* Pſ.144.v.5.

(c) *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Pſ. 5. v. 5.

Quam tu non fueris, veluti es nunc, undique Sanctus.
  Sanctus es, & cæli coram te ſidera languent,
(a) Nec ſunt munda ſatis, prope ſunt & ſordida vultu,
(b) Nemo ut tu ſanctus. Sancti tu regula prima,
(c) Et norma es. Tua Lex ſancta indelebilis hæret
Uſque infixa animis noſtris, damnatque nocentes
(d) Vociferans, quatienſque alte, intentanſque flagellum,
Siquid peccamus, ſiquid committimus; ipſa
Supplicium ſibi mens eſt pravi conſcia facti.
(e) Nam te ſentimus præſentem, teque veremur:
Et tua nimirum tua nos præſentia terret.
(f) Quantumvis latebras ſceleri quæramus, & umbras;
Sitque ſine humano teſte ullo, & judice crimen.
Indeprenſa etiam, obſcuriſque obducta latebris;
Formidant tamen, & coram te crimina pallent.
Sancta quoque eſt tua magna Domus, nec limina adire
Fas ulli; ſancto niſi vitæ fine quierit,
Elueritque omnes, ſiquas dum vita manebat
Admiſit ſordes. Quod ſi nondum eluit omnes,
Siqua inoleſcit adhuc, ſupereſtve; arcebitur exul
Ille Domo regnoque tuo, & cæleſtibus oris,
(g) Exiguam donec maculam longo igne piarit,
Fœdaque jam culpæ veſtigia nulla ſuperſint.
  Quam nobis labem primi aſperſere Parentes,
Tu carnem humanam indutus, moribundaque membra

(a) *Stellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus*. Job. 25. v. 5.
(b) *Nemo ſanctus ut eſt Dominus*. 1. Reg. 2. v. 2.
(c) *Lex Domini immaculata convertens animas*. Pſ. 18. v. 8.
(d) *Semper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia*. Sap. 17. v. 10.
(e) *Terrores tui conturbaverunt me*. Pſ. 87. v. 17.
(f) *Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatem*. Job. 34. v. 22.
(g) *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula*. Pſ. 14. v. 1.

(a) Sanguine lavisti: nam sic insederat alte;
Ut nisi divino non posset sanguine tolli.
Nunc paucis verbis, modicisque absumitur undis
Quæ macula Heroas veteres, sanctumque Senatum,
Mille alios, alios ter mille, atque amplius annos
Post mortem, extorres patria, regnisque beatis
Carcere detinuit mœsto, & nigrantibus umbris.
Quin etiam maculis, quas ultro admisimus ipsi
Abluimur rursus verbo: dant verba salutem,
Quæ prope divino Judex tonat ore Sacerdos.
Atqui conscelerari olim semel Angelus ausus
(b) Supplicia exhausit, neque fas resipiscere: cælo
Præceps, in rictus mutatus, & ora draconis
Cauda stellarum magnam vim uno impete secum
Contorquens: numquam extinguendis ignibus ardet.
Ast homini infandis temerari sæpius auso
Sordibus, & stygiis se ultro intinxisse venenis:
Sanari satis est voluisse, parata medela est.
Hæc tua, Sancte Deus, sunt munera, tu potes unus
(c) Quamlibet infectos ab origine reddere mundos,
Sanctosque efficere. Idem tu mortalibus ægris
Auxiliator opem sanctam, viresque ministras;
Queis nixi, quamvis gradimur per lubrica plantis
Infirmis; uncti luctari, stareque firmi
Possimus: mediasque acies, mediosque per hostes
(d) Ire tamen, vimque inferre, atque irrumpere cælo.
Deinde triumphali victricia tempora lauro
Ipse manu cingis. Quin plus concedis honoris:

Namc

(a) *Lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*. Apoc. 1. v. 5.
(b) *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. 2. Pet. 2. v. 4.
(c) *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es*. Job. 14. v. 4.
(d) *Violenti rapiunt illud*. Matth. 11. v. 12.

(*a*) Namque etiam Pugilem victorem tumet adoptas:
Filius ille tibi tuus est (dignatio mira!)
(*b*) Heresque. Atque adeo titulo hoc, & jure paterno,
Sunt illi æterni tecum consortia regni.
(*c*) Millia Sanctorum palmis, variisque coronis
Insignita implent quæ plura sedilia cæli
Seditiosa phalanx ad tartara, ad ima, per auras
Exturbata, sua liquere vaciva ruina,
Concolor Auroræ surgentis luce diei
Candidior cunctos vestit fulgorque, nitorque:
(*d*) Sic nitidas, sic & pulcras fecere, lavando,
Occisique Agni saturando sanguine vestes.
Ut varios carne induti peperere triumphos;
Sic palmæ in manibus variant, variantque coronæ.
Queis depingendis nulli satis esse colores,
Nulla manus, vox nulla. Silet stupefacta Poesis,
Castaliæ arescunt rivis languentibus undæ.
Omnibus in vultu est quæ pectore fusa redundat
(*e*) Letitia: exultant omnes, Agnumque sequuntur.
Et Sanctum, Sanctum, Sanctum, ingeminantque canuntque.

(a) *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus*. 1. Joa. 3. v. 17,
(b) *Si filii & hæredes*. Ad Rom. 8. v. 17.
(c) *Cum eo Sanctorum millia*. Deut. 33. v. 2. *Amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum*. Apoc. 7. v. 9.
(d) *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Ibid. v. 14.
(e) *Exultabunt Sancti in gloria . . . Exaltationes Dei in gutture eorum*. Psl. 149. v. 5. & 6.

INCOMPREHENSIBILIS COGITATU

Jer. 32. v. 19.

Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? Ad Rom. 11. v. 33,

CARMEN III.

INcomprenſibilis DEUS eſt, Et ſi modo quiſquam;
Exigua, ut noſtra eſt, illum deprendere mente
Poſſet: vel ſi quis Cæli de gente, ſupremus,
Qui tanto eſt nobis mente excellentior, Ales;
En tibi de Re ſuprema actum. Nec DEUS eſſet,
Qui poſſet ſic anguſtis, arctiſque teneri
Cancellis. Viden' ut noſtrum ſupereminet orbem
Cælum? Nil contra immanes potuere Gigantes;
Quantumvis ſuper hos alios potuere ſuperbi
Agglomerare una, vaſtoſque involvere montes.
Quantus *Athos*, & quantus *Eryx*, quantuſque nivali
Vertice ſe attollens pater Apenninus ad auras:
Quantus qui cælos dictus Mauruſius *Atlas*
Suſtentare humeris, quantuſque fragoſus *Olympus*
Theſſalus: & quantus, qui multo eſt celſior iſtis,
Orizabæus frontem mons tollit ad aſtra,
(a) Oſtentans fere in immenſum faſtigia Nautis
Cana nive: hi montes, inquam, ſunt inſtar arenæ
Exiguæ, pedibus quæ forte inſenſilis hæret:
Proficiaſque nihil quamvis congeſſeris omnes
Inſimul; hac ſcala ſi vis conſcendere cælum.

Et

(a) Ori... a *paeus eſt opulentiſſimus Novæ Hiſpaniæ, nomenque dat vicino Monti. Qui mediterraneus cum ſit, & a Portu* Veræ Crucis *diſtet milliaria nonaginta; adeo eſt excelſus, ut a Nautis totidem nonaginta alia milliaria a Portu remotis conſpiciendum ſe det. Quæ vidi narro.*

(*a*) Et vero ipſa Deum infinita volumina cæli
Non capiunt. Æternæ Urbis radiantia ſtellis
Mœnia, conſtructæ ſolido ex adamante columnæ
Illius ad nutum titubant, pavidæque tremiſcunt.
(*b*) Quid Tellus? Solo aſpectu tremefacta vacillat.
Vix Terræ eſt Orbis coram illo ut guttula roris.
Aſt habitatores quot ſunt, quos ſuſtinet orbis,
(*c*) Tot ſumus exiles, non plus, miſeræque locuſtæ.
Repimus. Ille autem graditur ſuper aſtra, tonatque
(*d*) Magnifice. Fugere feræ, & mortalia corda
Strata pavore jacent. Vocem magnam Omnipotentis
Veſtigare nefas. Propius ſi forte tonantem
Sentires; fragor imbelles dirumperet aures,
Nonne vides? Cedros etiam dirumpit, & Ornos
(*e*) Vox Domini. En ut diſſiliunt, ut fragmina ſaltant!
Explorare nihil fas nobis aure: videre
Nec fas eſt oculis. Luci, quam cernere noſtræ
(*f*) Pupillæ haud poſſunt Deus inſidet infinitæ.
Utque eſt ignorare nefas, neſcireque Solem.
Et quamvis picea interdum ſe nube recondat:
Effundit radios tamen, impertitur & orbi
Lucem, datque etiam blandum, quem luce carentes,

(a) *Cælum, & cæli cælorum non te capiunt*. 2. Par. *6*. v. 18. *Columnæ cæli contremiſcunt, & pavent ad nutum ejus*. Job. 26. v. 11.

(b) *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere*. Pſ. 103. v. 32. *Ante te orbis terrarum tanquam gutta roris antelucani*. Sap. 11. v. 23.

(c) *Habitatores ejus ſunt quaſi locuſtæ*. Iſa. 40. v. 22.

(d) *Vox Domini in magnificentia*. Pſ. 28. v. 4. *Tonabit voce magnitudinis ſuæ: & non inveſtigabitur cum audita fuerit vox ejus*. Job. 36. v. 4.

(e) *Vox Domini confringentis cedros . . . & comminuet eas tanquam vitulum Libani*. Pſ. 28. v. 5. & *6*.

(f) *Lucem habitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit; ſed nec videre poteſt*. 1. ad Tim. *6*. v. 16.

Quem vel cæci ipſi poſſint ſentire calorem:
Sic Deus eſt. Harum, quas cernimus undique rerum,
Quæ tanto ingenio, tanto ordine, & arte reguntur;
(a) Artificem magnum, Auctorem ignorare nefas eſt.
Aſt iterum ut Solem propiuſque diuque tueri
Haud licet: & ſiquis tentet temerarius; auſus
Scilicet ille luet ſtolidos, perdetque ſuperbos,
Audaceſque oculos. Cæli ſcrutarier ignes
Tentans; perpetua, in pœnas, dein nocte jacebit.
Sic itidem, ſic omnino, excæcabere luce
(b) Immenſa, pœnaſque lues caligine merſus
Horrifera; ſi conſilia explorare, viaſque
Arcanas Domini, prorſuſque impervia nobis
Secreta attentas demens penetrare, ſequique.
Ne tu hoc: i retro, pronuſque, & cernuus ore;
Quæ cernes ubicunque Dei veſtigia adora.
(c) Ne tu quæſieris cur fortunantur iniqui?
Et choreas plaudunt, citharaſque & tympana pulſant,
Sæpe humanorum ignari, experteſque laborum?
Cur contra Juſti aſſidue lugentque, gemuntque?
(d) Immerſique jacent lacrimis plerumque, maliſque?
Nec cur ſede ſinat *Moſis* cathedraque ſedere

Non-

(a) *Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellectu conſpiciuntur; ſempiterna quoquo ejus virtus, & divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles*. Ad Rom. 1. 20. *Omnes homines vident eum, unuſquiſque intuetur procul*. Job. 36. v. 25.

(b) *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria*. Pr. 25. v. 27.

(c) *Quare via impiorum proſperatur: bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt?* Jer. 12. v. 2. *Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad ſonitum organi*. Job. 21. v. 12. *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur*. Pſ. 72. v. 5.

Multæ tribulationes juſtorum. Pſ. 33. v. 20. *Accedens ad* (d) *ſervitutem Dei .... prepara animam tuam ad tentationem*. Eccl. 2. v. 1.

Nonnunquam Scribas? neque quæras: cur *Pharaoni*
Cor dedit e saxo? neque cur pendente latrone
Hinc uno, hinc alio, cum crimina nostra lavabat,
Divinum fundens vel prodigitate cruorem;
Unum duntaxat cælesti lumine tactum
(*a*) Illustrans, cælo asseruit, cæloque locavit,
Abjecitque alium: neque mentis dispulit umbras,
Nec crucis, ac pœnæ socium salvabit utrumque?
(*b*) Gratia quippe fuit. Si gratia; debita nulli est,
Sicui non faciat; nulli est injuria, nulli.
Sed pete, & accipies. Satis hoc sedare timorem,
(*c*) Hoc sat scire tibi, mihique est: ne cætera quære.
Undique inaccessis circumvallata tenebris
Sunt hæc: nec fas hæc homini penetralia adire.
Num tu arcana Dei trutinari, & noctua Solem
Arguere, atque etiam censor, judexque sedere?
Et monstrare viam, qua lucem impertiat orbi?
(*d*) Quis Domini sensum unquam, consiliumve prufundum
Divinans novit? Quis consiliarius illi,
Præcedensque, iter ostendit, primusque prævivit?
(*e*) Nunquid figmentum jurgari, & poscere caussas,
Aut altercari valeat, figulumque rogare:
Quid me fecisti tu sic? Hæc tota potestas
Est figuli, aut ignominiam, aut vero indere honorem
Argil-

(a) *Unus assumetur, & alter relinquetur*. Luc. 17. v. 34.

(b) *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia*. Ad Rom. 11. v. 6.

(c) *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne serutatus fueris*. Eccl. 3. v. 22.

(d) *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Ad Rom. 11. v. 34.

(e) *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa aliud quidem vas facere in honorem; aliud vero in contumeliam*. Ad Rom. 9. v. 20. & 21.

Argillæ, ut volet. Id faciet quodcunque libebit;
Huic vasi purum, ac nitidum lautumque liquorem
Injiciet, vacuumque aliud, spretumque relinquet.
Respirare tamen licet, ac requiescere amore
Erga nos Domini, qui nil unquam odit eorum
(*a*) Quæ fecit: qui divitias, qui munera lucis
Alma salutiferæ, sanctumque, piumque calorem
(*b*) Sub cælo quot sunt homines effundit in omnes.
Vix tacitis illum lacrimis, gemituque vocamus;
Blandi instar Zephyri, volucrique volucrior aura,
Auxilio venit, atque animos viresque benignus
Sufficit. Optamus nosmet solatia nobis
Segnius; & properat, citior venit ille vocatus.
Ipse luto finxit nobis præcordia: novit
(*c*) Quam simus fragiles: quanta infecere Parentes
Nos macula: quantus nos undique circumit hostis.
Ipse reluctantes etiam accersitque, vocatque:
(*d*) Expandensque manus, & quam dulcissimus ore,
Nutu, oculis, claraque allectat voce rebelles.
Et semel, atque iterum foribus, portisque repulsus;
(*e*) Stat tamen ante fores, pulsatque, vocatque, rogatque,
Nemo est, cui non & vitam, regnumque beatum
(*f*) Impertire velit. Ne tu (quod perfidus olim
Calvinus docuit) timeas ne te ignibus ille
Æternis, ultro, & solum quia sic lubet illi,
Nulla alia & caussa, diris te destinet umbris:
Luctus ubi, & stridor dentum, gemitusque perennes,

Tri-

(a) *Nihil odisti eorum quæ fecisti*. Sap. 11. v. 25.
(b) *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Jo. 1. v. 9.
(c) *Ipse cognovit figmentum nostrum*. Ps. 102. v. 14.
(d) *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum qui graditur in via non bona post cogitationes suas*. Isa. 65. v. 2. & ad Rom. 10. v. 20.
(e) *Ego sto ad ostium, & pulso*. Apoc. 3. v. 20.
(f) *Omnes homines vult salvos fieri*. 1. ad Tim. 2. v. 4.

Tristiaque infandæ posuere cubilia curæ.
Nemo tenebrosa, atque æterna incendia quisquam
(a) It; nisi præcipitem sese ipse hos volvat in ignes.
Tu time, & attente, & sancto, castoque timore
(b) Concussus; totis nervis, ac viribus almam
Nitere nancisci, æternamque parare salutem.
Hic timor, assiduusque pavor vestigia firmant
(c) Nostra, & sustentant adeo, retinentque labantes.
Ne tu hos, ne comites unquam, sociosque relinque.
Sed cave, ne sensim vultu, specieque timoris
Casti; crudelis jam desperatio quædam
(Quam nempe horrificus tibi vult immittere Calvus)
(d) Obrepat. Suavis Deus, & dulcissimus ultro est,
Utque illam vitam assereret, regnumque beatum
(e) Nobis; ipse ultro ludibria, vulnera, mortem
Pertulit. En majora tibi mysteria *Amoris*.
His tu æqua, his libra mysteria magna *Timoris*.

ÆTERNITAS.

Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Jac. 1. v. 17.

CARMEN IV.

ASpice ut inconstans est, & mutatur in horas,
Et nunquam Lunæ est, nec vultus, nec color idem.
Æmula

(a) *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum*. Oseæ 13. v. 9.

(b) *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Ad Philip. 2. v. 12.

(c) *In timore Domini declinatur a malo*. Prov. 16. v. 6.

(d) *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*. Ps. 31. *Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus*. Ps. 144. v. 9.

(e) *Vulneratus est propter iniquitates, attritus est propter scelera nostra*. Isa. 53. v. 5.

Æmula nunc fratris toto, & pleno ore refulget
Candida: nunc languet, medioque atrata nigreſcit
Orbe: modo obtuſis, modo acutis cornibus ardet
Vix: nunc obruitur, penituſque immergitur umbris:
Illius in cælo veſtigia nulla ſuperſunt.
Hæc itidem cunctas res inconſtantia verſat
Humanas: ſic apparent, ſurguntque, caduntque:
Sic & mutantur, quæ ſubſunt omnia Lunæ.
(a) Occidit, atque oritur repetito funere, & ortu
Inconſtans etiam Sol, & ſordeſcit opacis
Obſcœnus maculis. Turpant ſua lumina nigræ
Denſatæ circum fumo, ac fuligine cruſtæ,
Et mutat, vertitque locum, interdumque *Bootæ*
Obvertit ſeſe; dein contra obvertitur Auſtro,
Retrorſumque trahit gyrum, & conſiſtere neſcit.
Omnia mutantur cælo, terraque, marique.
Umbræ, & nigroris, nihilique, unde eruta quondam
Omnia, nunc etiam quædam veſtigia ſervant.
Unus mutari, maculaſque, viceſque ſubire
Duntaxat neſcit Deus. Immutabilis idem
Qui nunc eſt, fuit æternum, æternumque manebit.
Nondum Tempus erat, neque Sol, neq; Luna, neq; Aſtra,
Quæ metirentur, revoluto tempora curſu:
(a) Necdum cæleſtes orbes, necdum Mare, Tellus
Extulerant caput e nihilo: necdumque profundas
Umbrabant valles nebuloſa cacumina Montes:
At Deus idem erit, & qui eſt nunc, quantuſq; futurus.
(c) Tempus erit, cum Sol totus noctefcet, & alto

(a) *Oritur Sol, & occidit, ad locum ſuum revertitur, ibique renaſcens girat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem . . . & in circulos ſuos revertitur.* Eccl. 1. v. 5. & 6.

(b) *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis; a ſæculo, & uſque in ſæculum tu es.* Pſ. 89. v. 2.

(c) *Sol convertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem.* Joel. 2. v. 21. *Et ſtellæ cadent de cœlo.* Matth. 24. v. 29. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Pſ. 101. v. 28.

Præcipitata ruent e cælo sidera: tristi
Squalore, & putri tabescet sanguine Luna;
Et turbata suis hæc Machina fundamentis
Ibit in exiguos cineres, tenuesque favillas:
At Deus, idem erit, & qui est nunc, quantusq; futurus.
Utcumque huc illuc paleæ volvantur inanes,
Et nebulæ circum; tamen est immotus, & hæret
Mole sua, & multum nubes excedit Olympus.
Non, ut homo, angusto fugitivi temporis orbe
Arctatur Deus, annisve, aut ætate senescit.
Quæ testudineo pedetentim incedere gressu,
Pigrarique, & prolatari immensa videntur
Nobis; sunt illi exigui instar sæcula puncti.
Distanti longe, bis centenisque futuro
Annis post Regi; tanquam si adstaret, & aure
(a) Mandata exciperet, proprio jam nomine *Cyrum*
Compellans, facienda olim injungitque jubetque.
Serius, ac vix quingentis vertentibus annis,
Evolvenda Orbis terrarum maxima regna
Quatuor, & seriem rerum, casusque, vicesque;
Non aliter quam si unius mera somnia noctis
(b) Essent, in statuæ speciem subitariæ, & uno
Affligendæ ictu ad terram, dat cuncta videnda
In somnis qui *Nabucho* tum sceptra tenebat.
(c) Mille anni nihil illi omnino suntque perinde
Tanquam hesterna dies, quæ jam nunc tota recessit.
Contra homines sumus instar fumi, instarque vaporis
(d) Qui fugit ex oculis, evanescitque repente.

Tan-

(a) *Qui dico Cyro, Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*. Isa. 44. v. ult.
(b) *Tu Rex videbas, & ecce quasi statua una*. Dan. 2. v. 31. *Tunc contrita sunt, & redacta quasi in favillam*. Ibid. v. 35.
(c) *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præteriit*. Ps. 89. v. 4.
(d) *Defecerunt sicut fumus dies mei*. Ps. 101. v. 4.

Tantisper fumus; at mora nulla est; fumus abibit.
Quanto, qui vivunt, plures vixere, neque ultra
Jam sunt? Discussus vapor ille est, transiit umbra
Quot sunt vel Reges, quorum vel nomina novit
(a) Nemo, & vix docti an fuerint meminisse laborant;
Nec jam soli homines; Populi quoque, Regnaque, & Urbes
Instabiles, ut homo sunt, intereuntque, caduntque.
Quæ fera *Carthago* Romanis desuper altis
Mœnibus intonuit victrix, *Cannisque* superba
Ex *Aniene* ipso *Tibri* insultavit, & Urbi
Jam nihil est. Mutum, quod passim litus aratur
Hoc unum superest, & disceptatur utrinque
Nunc, ubinam fuerint tandem Carthaginis arces.
Quid *Tyrus*, & *Sidon*? Quid quæ miracula Mundi
Tot sola enixa est *Babylon*? mera nomina restant.
(b) Ah *Babylon*, *Babylon*! Ubi nunc miracula, & horti
Aerii, turres, contermina mœnia cœlo?
Nusquam. Restabant quæ rubera, tesquaque Pardis
Jam non sunt: etiam hæc periere, & nomina sola
E tantis ægre & vix emersere ruinis.
Humanum nihil est firmum. Absumuntur ab annis
Omnia. Suntque etiam lapides, & saxa caduca.
Parietibus, muris Regnisque, atque Urbibus ipsis
Mors instat, brevis est, volucri & pede volvitur ætas.
Omnia prætereunt, dilabunturque, perinde
Ac rapido transit fluvio revolubilis unda.
(c) Unum immortale est, unum immutabile semper
Numen, quod longo intervallo tempora cuncta
Antistans, nunquam incepit, neque desinet unquam,
Nec

(a) *Non est priorum memoria; sed nec eorum quidem quæ postea futura sunt erit recordatio*. Eccl. 1. v. 11.
(b) *Subito cecidit Babylon, & contrita est*. Jer. 51. v. 8.
(c) *Solus habet immortalitatem*. 1. ad Tim. 6. v. 16. *Ego Dominus, & non mutor*. Mala. 3. v. 6.

(*a*) Nec variat, neque præteritum, quidquamque futurum
Illi est. Perpetuo præsens semper sibi constat.
Omnia complectens, simul omnia conspicit uno
Intuitu, neq. transcurrit, neque mente movetur.
Divinæ Mentis nulla aut conceptio transit,
(*b*) Aut amor, aut odium nunc est, quod non erit olim,
Aut quod non fuerit semper sine fine per ævum.
Non hoc, deinde aliud, fluxa, ut nos mente revolvit:
Non animus sese studia in contraria scindit
Nobilis, aut varius nunc hunc, nunc volvitur illuc.
Mens immota manet, manet æque immota voluntas.
Et solus Dominus sic immutabilis ipse est.
Omnino Deus ille est, qui non cœperit esse,
Immotaque queat simul amplecti omnia mente.

PRÆSENTIA.

Quis nos separabit. Ad Rom. 8. v. 3.

CARMEN V.

O Ubinam es? Plus dimidio divellimur orbe,
Et jacet immensum Mare me, teque inter *Alexi*.
O ubinam es? titubata inter suspiria rursus
Ingemino. At nec respondet, neq. me audit *Alexis*,
Et perdo lacrimas frustra, & suspiria perdo.
Ergo abiisti, & me potuisti linquere solum
Crudelis? Sed nec fuit o! crudelis *Alexis*,
Nec potuit: nolens ille, atque invitus abivit.
Esto; abiit sed enim procul ille, avulsus & a me est:
Et

(b) *Qui ante sæculum, & usque in sæculum, neque adjectum est*. Eccl. 42. v. 21.

(c) *Cogitationes cordis ejus in generatione & generationem*. Ps. 32. v. 11. *Cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi* Ps. 39. v. 6.

Et neque in amplexus ruere, & nec jungere dextras
Possum, nec dulces audire & reddere voces.
Ad Solem plerumque amens convertor, &: O tu
Sol felix! Videas tu nunc fortassis *Alexim*.
Atque erat insanum mœsti hoc solamen amoris.
Este mihi tu, o Sol, & Cæli Sidera testes.
Nunquam ego jam demens, nunquam dein stultus amabo
Mortalem, qui, me invito, a me possit abire.
O Deus! o ubinam non es tu? Numine comples
(a) Cuncta tuo. Tu semper ades, tu semper ubique es:
Excelsoque sedens solio, ultra culmina cæli
(b) Sublimis, tanquam scamno huic inniteris orbi
Terrarum. Quaecunque tua hic vestigia cerno.
Omnia cum possis: tamen ipse a me procul esse
Non potes; atque etiam nolles, etsi hoc quoque posses.
Nam memini cum delicias mecum esse solebas
(c) Ipse vocare tuas. Quanta indulgentia amoris!
Qui te amat, alme Deus, quando ad te fletve, gemitve:
Audis. Non lacrimas ille, aut suspiria mittit
Incassum, surdis quæ sint ludibria ventis.
Tumet pectoribus te nostris inseris, inque
Nostro corde sedens, lacrimas in origine prima
(d) Inspicis, & pendis, numerasque, sinuque recondis
Ipse tuo, & recreas, & consolaris amantem.
Quin gemitus needum natos, arcanaque sensa,
Quæ mens concepit needum sibi conscia, & alto
Pectore, clam nobis obvolvunturque, silentque;

Tu

(a) *Numquid non cælum & terram ego impleo dicit Dominus*. Jer. 23. v. 24.
(b) *Cælum sedes tua; terra autem scabellum pedum tuorum*. Isa. 66. v. 1.
(c) *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Prov. 8. v. 35.
(d) *Posuisti lacrimas meas in conspectu tuo*. Ps. 55. v. 9. *Mærentes erigit sospitate*. Job. 5. v. 11.

(a) Tu ſentis prior, & prævertis vota benignus.
Quis me, o dulcis Amor, Deus alme, avellere poſſit
A te? Circumſtent me enſes, avidæque ſecures.
Sanguinis intentent jugulo, exitiumqne minentur
Quæ nova *Mars* cudit priſcis incognita ſæclis
Cum tonitru horrendum tormenta imitantia fulmen:
(b) Ridebo. Non iſta Deum a me avellere poſſunt.
Conjurent imis excitæ ab ſedibus umbræ
Tartareæ: intortos pro crinibus exſerat angues
Siqua eſt *Tiſiphone*, ſiquis morſu appetit umbras,
Oreque tergemino ſævit canis, omnia ſurſum,
Cocyti erumpant, quot ſunt crudelia monſtra:
Ridebo tamen, & tranquillus voce vocando
Te; Deus; has larvas procul, & portenta fugabo,
(c) Deſpiciamque ferum, conculcaboque draconem.
Ecce autem & cælum proh quantas aggerat iras!
Eripuere diem nubes: nox atra repente
Incubuit: lux, præter quam dant fulmina, nulla eſt.
Et fremit, atque excuſſa ſuo prope cardine tellus
Subſultat, reboanſque intus furioſa fatiſcit
Undique, & undique hiat: turreſque, urbeſque minantur,
Præcipitant: montes volvuntur, corruit orbis.
(d) Stabo ego; nec tanto movear, trepidemve tumultu:
Quandoquidem non iſta Deum a me avellere poſſunt.
Pallida *Mors* en armata arcu, armataque falce,
Et tenebris adoperta caput, truculentaque vultu,
Horriſonum totis intendens viribus arcum,

E Irruit,

(a) *Præparationem cordis eorum audivit auris tua*. Pſ. 10. ſec. Hebr. v. 17.

(b) *Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum*. Pſ. v. 3.

(c) *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei*. Pſ. 103. v. 26.

(d) *Non timebimus dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris*. Pſ. 45. v. 3.

Etſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Pſ. 22. v. 4.

Irruit, & certam torquet, celeremque sagittam.
Ridebo placidus multum, irrideboque *Mortem*;
Nam neque tu, *Mors* dira, DEUM a me tollere possis.
Pigra venis, pigra & est tibi falx, pigræque sagittæ.
O quoties te suspiravi, teque vocavi!
O bene quod tandem venisti! vincula rumpe
Corporis, ut possim tristi hoc e carcere missus,
Usque meum contemplari Dominumque, Deumque,
Et coram aspicere, & coram placidissimo amore
Usque frui, & sanctos propius bibere ebrius ignes.
(a) Alme DEUS, solus tu me non deseris unquam,
(b) Nec procul es. Nam si vivo, in te vivo, fruorque
Lumine, & abs te habeo quod sum, quod sensibus utor,
Menteque, quod nutu & tacitus vix impero, & ultro
Moxque pedes, & sponte manus mea jussa sequuntur,
Quodque volo, id præstant. Libitum est currere, curro,
Vixque incerta pedum vestigia pulvere signo.
At si paulatim juvat, & procedere sensim,
Sic eo, tardigradusque incedo, vadoque lente:
Ut lubet accelero, moderorque, & dirigo gressus.
Dein sedeo positu vario: nunc utraque crura
Protendens; nunc alterutrumque coercens
Interius; nunc decussans, nunc libera linquens.
Sic & disparili positura, habituque recumbo:
Nam lateri insisto nunc dextro, deinde sinistro;
Dein magis effusus jaceo, atque in terga supinor,
Et modo dispando, modo colligo, contrahoque artus.
Mille modis digitos circumplico, vertoque in usus
Admirabiliter varios: nunc scribo, tribusque
Innexum digitis calamum circumfero charta.
Nunc arcum, aut ensem, truncumve, aut grandia saxa
Su-

(a) *Ipse enim dixit. Non te deseram, neque derelinquam.* Ad Hebr. 13. v. 5.
(b) *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Act. 17. v. 28.

Suspendo, versoque manu; nunc demeto florem,
Aut pomum ramo pendens: nunc sede quiesco,
Inque foramen acus tenue insero, & implico filum.
Mille, & mille sonos varios mihi dædala lingua
Sufficit, ad libitumque rego, vocemque reflecto.
Hæc equidem facio, sed qua ratione, modoque
Fiant, haud capio, neque quæ sint organa motus,
Sed neque cognosco, quanam sint arte regenda.
Tu solus nosti, regis omnia, & omnia præstas.
(a) Si cælum conscendero, ades: si abscondero me umbris
Infernis, ibi ades quoque tu: si sumpsero pennas,
Perque iter insuetum totas Maris arduus undas
Tranaro; tua me manus, & tua dextera ducet
Illuc, atque ubivis dextram mihi porgis amicam.
Denique quæ nodos nullos non rumpit, & uno
Dimidium quandoque mei Mors dividet ictu
A me, qui tecum mihi sunt, qui me tibi jungunt,
Nulla vi dulcis potis est Mors rumpere nexus.
Tu solus mihi semper ades, tu solus abesse
Non potes, & solus non me ipsa in morte relinquis:
Proptereaque mihi dein jam tu es solus amandus.

BENEFICENTIA

Omnia subjecisti sub pedibus ejus. Psal. 8. v. 8.

CARMEN VI.

Ergo meos, fateor tandem, male perdidi amores.
Pœnitet ah! quamvis mihi nec crudelis *Alexis*,
Nec fuit infidus. Bene respondebat amori

(a) *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Ps. 138. a v. 8. ad 10.

Siquid in humanis tale unquam, si bene cuiquam
Respondit quisquam: nam me redamabat *Alexis*,
Parque pari referens, erat & mea casta voluptas,
Solamenque meum. Neque plus optare videbar
Posse, & conabar me fallere, & esse beatus
(*a*) Ipse mihi. Interea tamen impatientia sisti
Pectore rumpebant pectus suspiria multa,
Perque oculos fusus lacrimis dolor ibat obortis.
Nescio quos grandes in corde expertus hiatus,
Nescio quod vacuum grande, impatiensque repleri;
Flebant, nec poterant, quidquid conarer, amore
(*b*) Propitiare meum, aut lacrimas sopire: fluebant
Nescio cur lacrimæ invito, cruciabar & ultro,
Nempe hominem tandem, fuit hoc & crimen, amabam
Impetuosus, & humano absorbebar amore.
Tu Deus, alme Deus, solus tu dignus amari:
(*c*) Solus tu implere, & tu tranquillare profundum
Cor pro te factum, quantumlibet omnia tentet,
Nusquam fas ille sine te requiescere. Nostri
Solus tu es cordis sincera, & plena voluptas.
Cætera tormenti genus, & ludibria amoris.
Tu me solus amas. Nam quis Pulcherrime rerum;
Quis nisi tu me unquam, quis me, te præter, amavit?
Tu sine me felix & eras, semperque fuisses;
Alta ego, & horrenda nihili caligine mersus
(*d*) Totus eram. Grandi mersum tu voce vocasti,
Audivique tuam vocem, emersique vocatus
E nihilo: hoc ego eram sine te, semperque fuissem.

Tu

(a) *Expectavimus pacem, & non erat*. Jer. 8. v. 15. *Ibi quoque non erit requies tibi*. Isa. 23. v. 12.
(b) *Renuit consolari anima mea*.
(c) *Memor fui Dei, & delectatus sum*. Ps. 76. v. 3. *Major est Deus corde nostro*. 1. Joa. 3. 20. *In eo lætabitur cor nostrum*. Ps. 32. v. 21.
(d) *Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt*. Ad Rom. 4. v. 17.

Tu mihi quod vivo, quod sum, Deus alme, dedisti,
Et das nunc: nisi enim tua me pia dextra teneret;
Protinus in nihilum rursus revolutus abirem.
Quocumque aspicio, ecce tuis sunt omnia plena
Muneribus. Qui me involvit circumfluus aer
Præsto est, & mitis sese pulmonibus infert,
Sanguis ut inde novis auctus vitalibns auris
Ire redire queat, facilisque subire meatus
Angustos, quibus it subtus, circumque, supraque.
(a) Magnum jussisti Solem hunc mihi fundere lucem,
Perque vices, veluti intentum ad mea commoda, nasci,
Atque mori: & tunc cælo alios accendier ignes,
Qui mulcere oculos, possintque reducere somnos,
Dulcia portantes curarum oblivia menti.
Quin ad arenam etiam tumidos Mare frangere fluctus
Ipse coegisti imperio, & præbere carinis
(b) Terga, utque ingentes veniant ad litora pisces,
Esca mihi impliciti laqueis, verubusque futuri.
Quin subjecisti mihi tu quæcumque creasti.
Idcirco, & docilis supponit terga *Eelphantus*,
Si licet & tanta mole, atque armatus obunco
Dente: & gibbosus clinat se in genua *Camelus*:
Et vexanda jugo dat inermia cornua *Taurus*;
Incurvoque gemens altos mihi pandit aratro,
Queis possim tuto committere semina sulcos.
(c) Et se subdit *Equus* mihi, collectosque superbus

Na-

(a) *Sol in aspectu annuntians in exitu vas admirabile, opus excelsi... Magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter*. Eccl. 34. v. 2. & 5.
Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctos tuos, Job. 38. v. 11.

(b) *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*. Gen. 9. v. 2.

(c) *Gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio*. Job. 38. a v. 20. ad 22.

Naribus eructans ignes, pedibusque trementem
Concutiens terram, quamvis ultro ipse coruscum
Insilit in ferrum, truditque in vulnera pectus
Impavidus morti occurrens; tamen audit habenas.
Me quoque ceu Dominum revereri, & vincla subire
(a) Sævi ipsi didicere *Tigres*, didicere *Leones*.
Nec potuere meo se subterducere pennis
Imperio *Alituum* volucris, fugitivaque turba;
Namque veternosos nido prætendere fumos,
Et laqueo didici captare, & fallere visco:
Insidiarumque immemores, ramoque sedentes,
Expansisque etiam plumis per inane volantes
Dejicere aut arcu, aut ignita sulphure glande.
Nil præ me possunt animalia cætera. Ludus
Est mihi de silice excutere, & dein fomite flammam
Excipere, & tenebras longe, noctemque fugare:
Ast nullo hanc pecudes conamine vincere, nullo
Pennatæ poterunt nisu exturbare volucres:
Sed sperare diem nido, lucemque tenentur,
Interdumque pigram nimium, longoque sepultam
Auroram somno cantu, gemituque vocare.
Præterea de cælo ipsum deducere solem
Lente queo, & sylvas, totosque exurere montes.
Plantis, arboribusque novas imponere leges
Quandocunque lubet possum, & mea jussa facessunt,
Ignotasque ferunt frondes, & non sua poma.
Vulnifico armatus chalybe, armatusque bipenni
Excelsas valeo detrudere montibus ornos,
Annosasque ictu momento sternere cedros,
Tigna futura domus. Diffindo marmora serra,
Quamque volo scalpro do invitis, indoque formam,
Summaque templorum facile ad fastigia vecto.
Inti-

(a) *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli*. Gen. 9. v. 2.

(a) Intima quin etiam telluris viſcera poſſum
Scrutari ferro, latebroſiſque abdita venis
Æs, Aurum, Argentum exerere, atque efferre ſub auras.
Et fluviorum alio poſſum traducere curſus,
Torpenteſque agitare imo, & ſiccare paludes:
Manſuraſque Mari objicere, atque opponere moles.
Et temone ſedens nolenti infindere ſulcos
Oceano, obliquiſque antennis pergere, & ire
Illac, qua venti, tempeſtateſque negabant.
(b) Sic mihi tu aptaſti ingenium, digitoſque, manuſque,
Ut tamquam Domino, tamquam Regi omnia ſubſint.
Terra mihi magna, & propria eſt domus. Hanc tua dextra
(c) Condidit, & nullis nixam, fultamve columnis
Suſpenſam medio libravit in aere firmam.
Arida erat: juſſiſti & cogitur humidus aer
(d) In nubes, ingens cælo venit agmen aquarum:
(e) Nec cadit uno ictu, nec vortice, & impete cæco:
Sed quaſi per cribrum cunctando, atque ordine longo
Funditur, & ſtillat ſilatim e nubibus imber.
Dein quæ nuper aquæ cecidere, & viſcera terræ
Intrarunt ima, & caveis latuere profundis,
Bullire incipiunt, doctæque repente ſubire
(f) Ardua quæque, ſcatent interdum in vertice montis.
Inde cadunt, fiunt ditiſſima flumina, & orbem

 Inſtar

(a) *Repleta eſt terra argento, & auro: non eſt finis theſaurorum ejus*. Iſa. 2. v. 7.
(b) *Conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta eſt*. Sap. 9. v. 3.
(c) *Appendit terram ſuper nihilum*. Job. 26. v. 7.
(d) *Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cælo*. Jer. 10. v. 13.
(e) *Ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum* Job. 26. v. 8. *cribrans aquas de nubibus* 2. Reg. 22. v. 12.
(f) *Rigans montes de ſuperioribus ſuis: de fructu operum tuorum ſatiabitur terra*. Pſ. 103. v. 10.

Inſtar venarum amnes circumeuntque, rigantque.
(a) Undique luxurians ridet lætiſſima tellus,
Graminaque & frutices viridanteſq; explicat herbas.
Multimodo veſtiti oſtro, pompaque ſuperbi
Magnifice incedunt flores, & aromata circum
Suavia, & effundunt pretioſos prodigi odores.
Curvantur pandæ, fœtuque gravantur ariſtæ,
Meſſoreſque vocant, falceſque, atque horrea poſcunt.
Plena mero turgens calcari poſtulat uva.
Craſſaque ſocordes hortatur oliva trapetes.
Matura ultro alta clinantur ab arbore poma,
Quoſque exquiſitos ſubigunt, miſcentque ſapores
Oſtentant: vario aſſentantur odore, colore.
Siquid avis furtim roſtro libavit; & illa
Admonet ecquodnam poſſim jam carpere pomum.
Rurſus quidquid Avis cantat dulcis, mihi cantat;
Nam niſi ego, ad cantus Avium ſunt omnia ſurda.
Magna quidem: ſed parva tua hæc ſunt munera dextræ
Omnipotentis, & en multo majora ſuperſunt.
Debueras, nam peccavi, me trudere ad umbras,
Lugubres umbras Erebi, flammaſque tremendas:
Vinctus ubi immenſas, immortaleſque catenas
Mordendo, arderem, & nunquam conſumerer igne.
Juſtum erat, & metui. Tu, clementiſſime rerum,
Quid faceres? Neque enim fas impunita relinqui
Crimina. Debentur pœnæ, ſolvique neceſſe eſt.
O infiniti ingenioſa induſtria amoris!
Quas ego debebam pœnas, tu corpore ſumpto
Factus homo, pro me ingrato, indigniſſimo amari
(b) Exſolvis, pro meque manus in vincla dediſti:
Pro

(a) *Viſitaſti terram & inebriaſti eam: multiplicaſti locupletare eam*. Pſ. 64. v. 10.
(b) *Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis*. Ad Epheſ. 5. v. 2.

Pro me verberibus, clavis, cruce, sanguine, spinis
Qui solus poteras mea tu commissa piasti.
Et tandem expirasti inter tormenta, latronesque,
Attonito, & languente, & nequid tale videret,
Sole repentinis caput obnubente tenebris.
Nec tamen his contentus adhuc, sub imagine panis
(*a*) Exigui involvens totum te Hominemque Deumque;
Dissimulas majestatem, quam non capit orbis:
Et dulces quærens latebras, cibus esse videris,
Irrepisque cibi specie, & mea pectora tentas,
Sollicitusque meos urges, & quæris amores.
(*b*) Languet amore Deus. Succurrite. Languet amore.
(*c*) Quisquis es ah! redama quoque tu, langueque vicissim.

BENIGNITAS.

Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis.
Matth. 21. v. 22.

CARMEN VII.

QUalem dum stultæ, & cæcæ ambæ *Græcia*, *Roma*;
Picturis coluere *Jovem*; sic plurima turba
Cogitat esse Deum, vultu, aspectuque tremendum,
Et similem indignanti, & semper acerba tuentem,
Semper & irata meditantem fulmina dextra.
Devius ah toto cælo! & dignissimus umbris
Rupisse infernis tam luctificabilis error!
Interea Deus erga nos dulcissimus, alto
(*d*) Prospicit e cælo, tamquam irrequietus amore;
Num-

(a) *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi*. Joa. 6. v. 51.
(b) *Amore langueo*. Cant. 2. v. 5.
(c) *Ama itaque Dominum Deum tuum*. Deut. 11. v. 1. *inebriantem te ab omnibus bonis suis*. Eccl. 32. v. 17.
(d) *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinaverunt.* Ps. 13. v. 2.

Numqui homines illum agnoscant, deamentq; vicissim?
Declinaverunt omnes, & terga dedere
Immemores: etiamque piget meminisse, Deique
Mira, incredibilisque homines oblivio cepit.
(a) At benefactorum fera non adeo immemor ulla est.
O stupor, o pigræ scelerata insania mentis!
Magni fit, si cui fas alloqui, adireque Regem
Coram, si faciles cuiquam Rex commodat aures.
(b) Ecce autem Regum nobis Rex ostia pandit:
Accessu facilem dat se, neque denegat ulli
Auditum. Cuicumque libet data copia fandi;
(c) Nec gemit exclusum sese mendicus, egenus.
Nec durare diu ad portas, & sæpe repelli,
Nec præstolari incassum, & sæpe ire redire
Hic opus est: coram affari fas cuique, fruique
Colloquio, quanto, & quo tempore cunque libebit.
Tanta est supremi in nos indulgentia Regis!
Provocat ipse etiam, nostra ut nos vota, beata
Spe pleni, indubia coram se mente feramus:
(d) Impetraturos prece nos quæcunque volemus;
Nec solio reditura suo ad nos irrita vota.
(e) Si montem forte obstantem ab radicibus imis
Tollere, & avulsum in mare deturbare velimus;
Nulla mora in Domino est: fiet, modo rite petamus.
Quanto est plus Solem stare? Atqui hoc *Jossua* fecit
Oran-

(a) *Obliti sunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus; quæ ostendit eis*. Ps. 77. v. 11.

(b) *Petite, & dabitur vobis: quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis*. Matth. 7. v. 7. & Luc. 11. v. 9.

(c) *Non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis*. Ps. 21. v. 25.

(d) *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & evenient vobis*. Marc. 11. v. 24.

(e) *Si habueritis fidem, & non hæsitaveritis . . . & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet*. Matth. 21. v. 21

(*a*) Orando. Ne victori quos fuderat hostes
Eriperet, fuscisque involvens abderet alis
Nox, miro imperio, magno & clamore, fideque,
(*b*) Stare jubet Solem, tum cum properabat Olympum
Claudere, & ardentes prono lavere æquore currus.
Audiit, actutumque hominis nova jussa facessens;
(*c*) Hactenus indociles sisti, irreducesque quadrigas
Continuit subito Sol: quas laxarat habenas
Adducens, retroque trahens ad fræna jugales.
Nec tam longa dies terris visa ante, nec unquam
Postea: quandoquidem bis senas restitit horas
Sol, totidemque hærens etiam, suspensaque eodem
Luna loco, gyrum tenuit, cursumque repressit.
(*d*) Orando *Elias*, tanquam cæli arbiter esset,
Nunc abigit, prohibetque diu, nunc evocat imbres
(*e*) Pro libitu; nunc ultores cælo imperat ignes:
Et semel, atque iterum, queis Rex mandaverat ire
Quæsitum *Eliam*, in cineres facit ire maniplos.
Et pigramur adhuc (quando prece vertere cælum
Possumus) in cælum ignavas attollere mentes,
Munificumque adeo Regemque Deumque precari?
Sin minus audimur, non nos Oracula fallunt

Divi-

(a) *Invocavit Altissimum potentem, & audivit illum magnus, & sanctus Deus*. Eccl. 46. v. 6.

(b) *Sol contra Gabaon ne movearis, & Luna contra vallem Ajalon.* Jos. 10. v. 12.

(c) *Steterunt itaque Sol & Luna ..... & non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis*. Ibid. v. 16. & 14.

(d) *Oratione oravit, ut non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex. Et rursum oravit, & cælum dedit pluviam*. Jac. 5. v. 17. & 18.

(e) *Si homo Dei sum, descendat ignis de cælo, & devoret te, & quinquaginta tuos. Descendit itaque ignis de cælo; & devoravit eum, & quinquaginta qui erant cum eo*. 4. Reg. 1. v. 10. item v. 12.

(*a*) Divina. In nobis culpa eſt: obſiſtimus ipſi
Nobis, nec petimus, qua par eſt, mente, fideque:
Aut plerumque etiam ſtulta, & nocitura precamur.
Oranti, ut par eſt, nunquam Deus obſtruit aures.
Orabat Pater *Abramus*, ne perdere flammis
Urbem, neu vellet ſceleratam exſcindere gentem:
(*b*) Et nunquid, Domine, hæc tua non placabitur ira,
Si quinquaginta ſcelere omni, labeque puri,
Et pietate viri inſignes numerentur in urbe?
Num tu, qui clemens adeo es, confundere poſſis
Sontibus inſontes, flammiſque involvere utroſque?
(*c*) Annuit oranti Dominus: placabor & inquit
Urbi ſi totidem juſtos alat. Audet, & inſtat
Thariades: ſi quinque minus ſine crimine vitæ,
(*d*) Si quadraginta fuerint, & quinque, ſatiſne
Hi ſint? Nonne etiam tua tum clementia vincet?
Hoc etiam tibi do, dixit Deus. Illeque rurſus:
(*e*) Quid? Quadraginta ſi fors ſunt; nonne perinde
Tum quoque miteſces? Eſto: inconcuſſa manebit
Urbs, modo ſint juſti tot. Confidentior ille:
(*f*) Quid ſi triginta, quid ſi non amplius exſtent
Moribus, ac vita integri? Num te hi quoque flectent?
Et

(a) *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis.* Jac. 4. v. 3.

(b) *Si fuerint quinquaginta juſti in civitate, peribunt ſimul, & non parces loco illi propter quinquaginta juſtos, ſi fuerint in eo? Abſit a te, ut rem hanc facias, & occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus ſicut impius.* Gen. 18. v. 24. & 2.

(c) *Dixitque Dominus ad eum: ſi invenero Sodomis quinquaginta juſtos . . . dimittam omni loco propter eos.* Ib. v. 26.

(d) *Quid ſi minus quinquaginta juſtis quinque fuerint? Delebis propter quadriginta quinque univerſam urbem? & ait non delebo.* Ib. v. 28.

(e) *Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam, propter quadraginta.* v. 29.

(f) *Quid ſi ibi inventi fuerint triginta? Reſpondit. Non faciam, ſi invenero ibi triginta.* v. 30.

Et dedit hoc etiam Deus, assensitque benignus.
Instat *Abramus* adhuc: Quid si fortasse supersunt
(a) Justi non plures viginti? Iramne remittes?
Ut bonus est, rursum Deus annuit. Attamen ultra
Progreditur, pergitque *Abram* tentare precando:
(b) Et ne tu, quæso Domine, indignere roganti:
Hoc, sine me, adjiciam: Nonne & miseratio tanget
Urbis te, si forte decem insontesque, piique
Sint ibi? Concessit clemens Deus his quoque votis:
Haud equidem delebo inquit. Si forte piorum
Hic erit, hic etiam numerus tutabitur urbem.
Tanti est esse Pios! Tam grandia fœnora reddunt
Urbibus! Arsisti *Sodoma*. At bis quinque fuissent
Si justi; stares, atque his defensa, maneres.
Sed numquis Regum sic est affabilis ullus?
Non noster Rex, aut Dominus Deus esse videtur:
Sic est affatu facilis, facilisque precando
Flecti: sic blandas orantibus exhibet aures:
Sic est humanus, sic se demittit amori!
At: Sancti fuerant, dicat quis, *Jossua*, *Abramus*,
Elias: nullo temerarant crimine vitam.
Ast ego quid merui, nisi pœnas? Non ego certe
Orando audiri dignus, neque sistere coram
Dignus me Domino: mea nam me crimina terrent.
Atqui non Justos; sed qui pejora sequuti
(c) Errabamus, ait sese huc venisse vocare
Qui Deus ad nos excelso demissus Olympo est.
Errastine? Redi tamen, excipiere benigne:
Quin præ morigero, qui nil deliquerat unquam,

Præ

(a) *Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait; non interficiam propter viginti.* v. 31.

(b) *Obsecro inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: non delebo propter decem* Ib. v. 32.

(c) *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Matth. 9. v. 13.

Præ Primogenito excipiere benignius ipſo.
(*a*) Surget in occurſum, blandiſſimo & oſculo, & arcto
Te Pater amplexu excipiet, promique jubebit
(*b*) Primam, quam prudens tibi in os ſervaverat uſus,
Auro intertextam, & ſaturatam, oſtroque nitentem
Sarrano veſtem, digito dari & annulum, agique
Feſta, atque applaudi, & convivia magna parari.
Qui pavidi rigidum Dominum, Regemque ſeverum
Creditis eſſe Deum; capere experimenta venite:
(*c*) Voſmet, quam ſuavis Dominus, guſtate, videte.

OMNIPOTENTIA.

Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt.
Pſal. 32. verſ. 9.

CARMEN VIII.

(*d*) PRincipio Cælum, traxit, terramque profundo
E nihilo Deus. Et nox ambitioſa tegebat
Omnia. Divinus gradiebatur ſuper undas
Spiritus, & ſegnis tellus, & mœſta jacebat.
(*e*) *Fiat Lux*, dixit tacite Deus; illa repente
Riſit, & e tenebris nitidum caput extulit alma,
Lætitiamque ferens pennis, riſuſque, jocoſque,
Ex-

(a) *Cum autem adhuc longe eſſet, vidit illum Pater ipſius & miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.* Luc. 15. v. 20.

(b) *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus . . . . & manducemus & epulemur.* Ib. v. 22. & 23.

(c) *Guſtate, & videte quoniam ſuavis eſt Dominus.* Pſ. 33. v. 9.

(d) *In principio creavit Deus cælum, & terram.* Gen. 1. v. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.* v. 2.

(e) *Dixitque Deus: fiat lux, & facta eſt lux.* v. 3.

Exultat primogenita & pulcherrima rerum.
Tum quoque & alatæ, & secretæ a corpore mentes,
Si modo Sanctorum sancta est doctrina Parentum,
Tunc, inquam, mentes illæ cum luce creatæ.
(*a*) Et fiant cæli, dixit Deus inter aquarum
Moles, quæ sursum fusæ sunt, quæque deorsum.
Dixit, & immensa explicuere volumina cæli
Inter aquas hinc inde alias subtusque supraque.
(*b*) Quotquot aquæ sub cælo estis, dixit Deus, alveo
Cogite vos uno, atque appareat arida tellus.
Dixerat, & dicto citius, turgescere sursum,
Arrectique jugum in cælum protendere montes,
Submittique humiles imo, ac subsidere Valles,
Immensæque fodi subtus caveæque, sinusque.
Certant præcipites illac descendere glauci
Undique collecti spumoso gurgite fluctus.
Extollit frontem subito, undisque eruta tellus
Eminet, undiq; adhuc mœrens tamen, undiq; inanis.
(*c*) Et Deus: erumpat tellus, herbasque virentes
Grataque poma suis frondosis pendula ramis
Germinet: ipsa ferant simul & sua semina secum.
Et tulit extemplo segetes, & pascua tellus,
Pomiferasque tulit cælo capita alta ferentes
Frondes: & secum sua semina quæque tulere.
Extiterat vix e terra, & procera repente
Arbos intumuit trunco, ramosque tetendit,

Poe-

(a) *Dixit quoque Deus: fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento ab his, quæ erant super firmamentum*. v. 6. & 7.

(b) *Dixit vero Deus: congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum, & appareat arida. Et factum est ita*. v. 9.

(c) *Et ait: germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum . . . Et factum est ita*. v. 11.

Fœtaque maturis facta eſt ex tempore pomis.
(*a*) Et dixit Deus: exoriantur lumina magna
In cælo, & certas nocti, certaſque diei
Conſtituant metas, ſint & certiſſima ſigna,
Queis partiri homines poſſint, & tempora, & annos.
Illicet aſtrorum Rex Sol prorupit, & illum
Naſcentem ſtupuit tanta luce ebrius orbis.
Luna quoque obſtupuit, totique obnoxia Soli,
Admirans ipſum, luce alterna ipſa refulſit:
Præſidet hæc nocti; ſed præſidet ille diei.
Tunc & quinque alii cæleſtibus orbibus ignes
Ab Sole accenſi taciti fulſere Planetæ:
Mercuriuſque, *Venuſque*, & *Mars*, & *Jupiter* alte
Incedens, lunis hinc inde minoribus auctus
Quatuor, & quinis cinctus, cinctuſque corona
Saturnus, laſſamque via, feſſamque labore
Multiplici lucem reparans, augenſque repulſu.
Tum quoque ſyderææ cæli ipſo in vertice flammæ,
Inter ſeſe alio, atque alio varioque colore
Innumeræ erupere, nihil jam Solis egentes,
Nam totidem magni ſunt, quot ſunt ſydera, Soles:
(*b*) Omnia facta tamen præſtare vicaria terris
Lumina, & ut terræ inſervirent omnia facta.
(*c*) Dixit item Deus: e gremio naſcantur aquarum
Reptantes piſces, ſimul & genus omne volucrum.
Et ſubſultabant toto mox æquore piſces,
Fluminibuſque: & reſpirare, & vivere in undis
Edi-

(a) *Dixit autem Deus; fiant luminaria, in firmamento cæli, & dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos... Fecit itaque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut praeſſet diei, & luminare minus ut praeſſet nocti, & ſtellas*. v. 15. & 16.
(b) *Et poſuit eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram*. v. 17
(c) *Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento*. v. 20.

Edidicere ipsi; contra emersere, & ab undis
Remigio alarum capita exseruere volucres:
Quemque reluctantem sibi subjecere volatu
Mulcebant dulces, hilarabantque aera cantu.
(a) Dixit item Deus: e terra viventia bruta
In lucem erumpant: quorum pars repere tantum
Per terram; pars quadrupedes incedere possint.
Nec mora, repebant jam mox animalia multa,
Multaque per campos cursu, saltuque micabant.
Illac agnoscens *Leo*, Regem se esse ferarum,
Arduus incedit, rugituque imperat arvis:
Hac exultat *Equus*, modoque huc, modò subsilit illuc,
Lascivitque toris, animosum & murmurat ignem:
Illuc aeriæ pendens in vertice rupis,
Ramosa excelso cælo infert cornua *Cervus*.
Balantumque greges passim; *Caprique* petulci
Ludicra bella gerunt, saliuntque, micantque per agros.
(b) Tunc: *Hominem* faciamus, ait Deus almus; & ille
Instar sit nostri, nostrique simillima imago:
Rex sit, & imperio sub se premat omnia magno.
Quaque patet, toto late dominetur in orbe.
(c) Ipse suis manibus limum informavit, & ore
Inspirans, immortalem Deus indidit auram:
Sic & vile lutum, argillamque animavit, & amplo,
Magnificoque ornans cultu; dedit esse capacem

(a) *Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita.* v. 24.

(a) *Et ait: faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra.* Gen. 1. v. 26.

(b) *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Gen. 2. v. 7.

(a) Consilii, & libertatis: Dominumque supremum,
Auctoremque suum, ac Patrem cognoscere, amare.
Grande opus! usque adeo excelsam de semine cæli
Mentem; corporeos tamen apte infundere in artus,
Et simul una animam, corpusque, lutumque jugare,
Disparilesque adeo arcano res jungere nodo!
Factus, homo, cujus pars immortalis imago
Viva Dei est. Una est, & trina: potentia triplex
Uni est, Auctorisque sui alte impressa sigilla
(b) Magna ferebat Homo. Ceu Regi, illi undique flores,
Undique pregnantes tellus fundebat aristas,
Sponteque pendebant matura sub arbore poma.
Blandi aderant hominem cauda mulcere Leones,
Cumque jubebatur, saltabat ab æquore piscis,
Cogebantque alas, descendebantque vocatæ
Sublimi e cælo volucres, fremituque jocosæ
Ludebant humeros circum, circumque sedebant,
Certatimque dabant suaves e gutture cantus.
Femina deinde viro comes improvisa repente
Adstitit assurgenti, experrectoque sopore
Primo: admiratus similem sibi fœdere sancto
Adjunxit; mage sancta alia, & nova fœdera mundo
Jam præsignificans Deus, æquævusque Parenti
Filius, & Primogenitus, rerumque supremus
Arbiter, ultro olim morti concedet, & alte
Vulnera perculso latere, atque undante cruore;
(c) Ipse sibi Sponsam fabricabit, reddet & ipse
Dignam se. En quid erat, quod dormitantis *Adami*

E

(a) *Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit eis . . . ut nomen sanctificationis collaudent . . . ut magnalia enarrent operum ejus*. Eccl. 17. v. 6. & 8.
(b) *Signatum est super nos lumen vultus tui*. Ps. 4. v. 7.
(c) *Sponsabo te mihi in sempiternum . . . & in misericordia, & in miserationibus . . . & scies quia ego Dominus*. Oseæ 2. v. 19. & 20. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa*. Cant. 4. v. 9.

E latere, ipsius pulcherrima Sponsa futura
(a)*Eva*, Dei manibus (sumpta de cratibus una
Pectoris, eque viri costis) fabricata repente est.
Scilicet hæc fuerant Sponsæ præludia quædam
(b)Divinæ, quam Divinus dein fœdere Princeps
Casto, atque æterno sibi consociavit amore.
Continuo ut voluit, verbo Deus omnia fecit:
(c)Omnia & aspiciens quæ fecerat, ipse probavit.
Fiat dixe, olli satis est: hoc scilicet uno
Quam magna est orbis surrexit fabrica verbo.

SAPIENTIA

Omnia in Sapientia fecisti. Ps. 103. v. 24.

CARMEN IX.

OMnipotenti olim, cum de nihilo extudit orbem,
Adstitit infinita quidem, at non sola potestas;
Adfuit indivisa comes Sapientia, & illa
Artificis quasi dextra manus fuit omnipotentis:
(d)Omnia secreto libravit pondere utrinque,
Mensuraque Deus justa, numeroque pependit.
Mentis, & artis opus divinæ est orbis: & unus
Ipse Auctor novit, qui facta est macchina mundi.
Admirari homines fabricam hanc bene possumus. Ultra

(a) *Ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*. Gen. 2. v. 22.
(b) *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. ad Ephes. 5. v. 32.
(c) *Viditque Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Gen. 1. v. ult.
Et tecum Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & adfuit tunc cum orbem terrarum faceres. Sap. 9. v. 9.
(d) *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti*. Sap. 11. v. 21.

(a)Vix quidquam. Tenebras in luce offendimus ipsa.
Quam solet in bustis, aut celsi in culmine templi
Caligare oculis imbellibus, & rude carmen
Obstrepere absurda, importunaque *Noctua* cantu.
Nil formidamus tamen, & cunabula mundi
Ipsamet, & primarum arcana exordia rerum
Tentare audemus: ruimusque in prælia, ritu
Andabatarum, & quisque suas vult figere leges
Imperiosus, & objurgat diversa sequentes:
Ridemusque alios, irridemurque vicissim.
  In mundi centro Terra, olim immobilis hærens,
Pigra quiescebat. Sibi nasci, & surgere Solem,
Atque mori, inque vices, alternam surgere Lunam,
Et totos cælorum orbes, & sydera volvi
Circum se in gyrum stans ipsa immota videbat.
Nunc jam tellurem placuit de sede moveri
Antiqua, *Veneremque* inter, *Martemque* rotari,
Qua proavis olim nostris Sol ire solebat
Officiosus, & auricomas agitare quadrigas.
Nunc sopor, & tristis miserum socordia Solem
Invasit. Segnis torpet, languetque quietus
In centro, tellus ubi desidiosa jacebat.
Vix super axe suo, viginti & quinque diebus,
Convolvit sese paullatim, ægreque: perinde
Ac fessum mutat latus, insistens & eidem
Usque loco, & cubito innixus, vix volvitur æger.
  Nec vero fugitiva semel contenta vagari
Tellus est. Quin ut solitæ plerumque puellæ
Consuetas nuper vestes, cultusque superbæ
Fastidire, novosque sibi prurire paratus:
Sic itidem, quædam quasi bacchanalia ludens,
Sic habitus, sic & tellus mutare figuras.

Sphe-

(a) *Indica mihi, si nosti omnia, in qua via lux habitet*. Job. 38. v. 18. & 19.

Sphera fuit quondam tota undique, tota rotunda;
Ovi inſtar deinceps facta eſt, qua deſinit axis
Oblonga, & medium verſus vacuata dehiſcens.
Contra eſt nunc, inſtar cæpæ compreſſa fatiſcit
Qua finit cardo, vertexque Aquilonis, & Auſtri
Extremus, medio pregnans elata tumeſcit
Ventre. Invertuntur ſic pro noſtro omnia nutu,
Ad libitumque novas leges imponimus orbi.
O bene, quod nunquam noſtra hæc mandata faceſſit,
Et ſurdas noſtris opponit legibus aures!
Quantumcumque bonis, noſtris ſi legibus iret
Orbis, jam feſſus pridem, fractuſque ruiſſet.
(a)Divina omnino eſt, qua ſtat, ſapientia Mundus:
Qua ratione illum Omnipotens compegerit olim,
Quave illum rerum ſerie, nexuque gubernet;
Caligo alta eſt, noſque latet, ſemperque latebit.
(b)Quanto plus homines iuſudent, pluſque laborent;
Tanto equidem minus invenient, pejuſque lababunt
Tum, cum plaudentes ſibi confidentius ibunt,
Et titubare minus ſua jam veſtigia credent.
En cælo (nam ſtellarum nec nomina ſcimus)
Urſas intulimus, *Tauroſque*, *Caproſque* bicornes,
Atque *Leonem*, & *Delphinum*, *Cycnumque*, *Gruemque*,
Atq. *Aquilam*, geminosq. *Canes*, *Leporemque*, *Lupumq.*
Et vix non totidem quot ſunt animalia terris.
Sic balbutimus, ſic & blateramus inepti.
(c)Nec quot ſint cælo ſtellæ numerare valemus;

(a) *Præparavit orbem in ſapientia ſua*. Jer. 51. v. 15.
(b) *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole. Et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat: etiamſi dixerit Sapiens ſe noſſe eum, non poterit reperire.* Eccl. 8. v. 17.
(c) *Numera ſtellas, ſi potes*. Gen. 15. v. 5.

(a)At numerat ſolio ſidens Deus, & ſua ſtellæ
Nomina cuique vocat, ſingillatimque recenſet:
Illæ autem ſubito auſcultant, adſuntque vocanti
Illicet, Auctorique ſuo plauduntque, micantque.
Quid ſtellas autem? Qua vi, quove impete, pila
Ludere qua fortaſſe ſoles, deſcendat ab alto,
Semper & imparibus numeris iter ocyus omni
Momento accelerans properet quaſi feſſa deorſum?
Nemo unquam expediet. Neque quas tuus educat hortus
Herbas, & flores, & quæ pendentia carpis
Poma manu, poſſis capere, aut deprendere mente.
Aut quanam fieri poſſit ratione, ut eodem
E nutrimento, ſuccoque inodoro, & inerti,
Inſipidoque, eadem plantis quem Mater alendis
Suppeditat tellus; poſſint tot deinde colores
Floribus aſpergi, & variari? & ſæpe ſuperbus
Flos idem expandi tam verſicoloribus alis?
Unde odor huic, illi tam prorſus diſpar & alter?
Undeve diſſimiles adeo potuere ſapores
Condiri? ac tot, tam varii coaleſcere fructus?
Qui te exquiſito abſentem veſtigat odore,
Et quin multifida, & perplexa ambage viarum
Erret, te demum aſſequitur, caudamque regyrans
Plauſum mille modis dat, blanditurque catellus:
Quid tandem ſit? Nemo ullus tibi dicere poſſit
Philosophus. Dabit hic animam, ſenſumque negabit
Ille. Arma expedient: multa vi vulnera utrinque
Ingeminabuntur: varie inclinata vacillans
Hac illac, neutri tandem victoria conſtat.
Vincit uterque hoſtem aggrediens, pugnamque laceſſens;
At ſua connixus defendere, ſeque tueri.

Victus

(a) *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Pſ. 146. v. 4. *Vocatæ ſunt, & dixerunt: Adſumus, & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas*. Bar. 3. v. 35.

Victus uterque cadit, victusque occumbit uterque.
Vel quæ despicimus, conculcamusque subinde
Haudquaquam capimus. Mens, ars divina refulget
In minimis etiam, quæ nos prætervolat omnes.
Abjectis etiam in rebus sapientia prorsus
Digna Deo est, nullaque humana imitabilis arte.
En parvum *Culicem*. Quid toto vilius orbe est?
Ast *Elephas*, quanta mole est, haud organa vitæ
Plura regat; quin plura *Culex* animatque, regitque,
Majoresque animos contracto in corpore versat.
Bellator galea assurgit, cristisque, tubamque
Horrisonam irarum plenis concentibus implet.
Sex, octove pedes insunt, si forte libebit
Ire pedes; sed multivagis quatit aera pennis,
Audet & aversos contra ire, lacessere ventos
Arduus: arma etiam, stimulumque proboscide gestat:
Quem trux insigat totum, totumque cruentet;
Si quis ab exiguo sibi non bene caverit hoste.
(a)Mole *Culex* minor est alius (tibi, *Mexice*, surgit
Vere novo passim) non Martem accendere cantu,
Non inflare tubam, stimulumve infigere novit
Sanguineum: volat innocuus, solisque tenebris
Indicit bellum. Prope se increbrescere noctem
Haud patitur. Simul umbrosas nox explicat alas;
Flammigeram (mirum!) quam parva continet alvo
Explicat ille facem, tenebrosumque aera tæda
Dimovet alata, & nigrantes territat umbras.
Abscondit lucem interdum; dein rursus eandem
Accendit, rursumque abdit, rursumque sepultam
Suscitat, alternis quasi nictans lumine, & umbris.
Nec sublime volat, nec multum se erigit. Ætas
Impubes passim ruit, & quam lumine signat,

(a) *Culices hos* Cicindelas *vocarunt Latini*; Lamprydes *Græci. Multimodi sunt. Illum ego describo quem vidi, & observavi sæpius.*

Insistitque; premitque viam, manibusque prehensum
Mirantur sine fine, & cum clamore, triumpho
Captum deportant culicem: ac modo vita supersit;
Non illum fulgore *Adamas*, æquetque *Pyropus*.
(*a*)Ludit in orbe DEUS. Sed quanta in lusibus ipsis
Ars est! Artificis summi sapientia summa est.

PROVIDENTIA

Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Matth. 10. v. 30.

CARMEN X.

ET Pater, & Dominus DEUS est, Sublimis olympo;
Et circumspiciens terras inde arduus omnes,
Se circum effundit, ceu Sol, & humillima quæque
Respicit, ac nutrit, recreatque, fovetque calore.
Omnituens, uno, lucis ritu omnia lustrat
Intuitu, & regit imperio, nutuque coercet.
Omnia sunt illi curæ: vendendus & asse
(*b*)Captivus, captiva etiam cum prole gemella,
Haud cadit in laqueum, illius sine numine *Passer*:
Maxima cum minimis quot sunt, quot & omnia fecit,
Tranquillus nullo molimine cuncta gubernat.
Aspice, quam vacui curis, plaudentibus alis,
Ludunt per sudum crocitantes aera *Corvi*,
Venturi immemores. Non illi semina sulcis
(*c*)Committunt, non proventus, messesque repostas
Agglo-

(a) *Ludens in orbe terrarum*. Prov. 8. v. 31.
De præparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. Ps. 32.
Pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Sap. 6. v. 8.

(b) *Nonne duo passeres asse væneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro*. Matth. 10. v. 29.

(c) *Considerate corvos, qui non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos.* Luc. 12. v. 24.

Agglomerant, nec congeſta Cerere horrea rumpunt
Solliciti: Deus interea, Deus implet edaces.
(*a*)Aſpice, qua pompa in cælum erumpentia ſurgunt
Lilia! Nec *Salòmon* veſtitu æquaverit unum
Ex his: illa tamen neque norunt ducere fuſo
Fila, neque arguto percurrere pectine telas.
Cæleſtis prorſus Pater eſt, qui lilia campi
Cingit odorifero, niveoque decorat amictu.
(*b*)Atqui nos pluris ſumus illi. Utcumque puſillæ,
Quamlibet exiguæ res ſint, ſi nos modo tangunt,
(*c*)Sollicitant illum, ſumus & ſua maxima cura,
Vel cum negligere, & nil nos curare videtur.
(*d*)Aſpice, ut incluſus corbe, & male vimine tectus
Infans abripitur mediis miſerabilis undis
Nili! Aſt hic infans faciet te, *Nile*, colorem
Mutare, obſcœnoque horreſcere ſanguine fluctus,
Ægyptique Deus, Regiſque videbitur. Ecce
(*e*)In manibus nos ipſe ſuis deſcripſit, habetque,
Et tenet aſſidue intentos, fixoque benigne
(*f*)In nobis oculos; nec delaſſabitur unquam.
(*g*)Num teneri infantis capientne oblivia Matrem?
Fac capiant. Pueri fuerit fac immemor illa:
At non ulla tui mihi par oblivio repet:
Cura tui noſtro nunquam de pectore abibit.
Hæc Deus. At quænam puerum ſic Mater amavit
Solli-

(a) *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis*. Matt. 6. v. 28. ,& 29.
(b) *Quanto magis vos pluris eſtis illis?* Luc. 12. v. 24.,
(c) *Dominus ſollicitus eſt mei*. Pſ. 39. v. 18.
(d) *Exod.* 2. 7. 3.
(e) *Ecce in manibus meis deſcripſi te*. Iſa. 49. v. 11.
(f) *Videns omnes ſine intermiſſione*. Sap. 15. v. 19.
(g) *Numquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Etſi illa oblita fuerit; ego non obliviſcar tui*. Iſa. 49. v. 15.

Sollicita, ut viles velit aut numerare capillos,
Aut curare etiam, puerone an decidat ullus?
Ergone tanta DEUM nostri hæc quoque cura subire?
Tanta quidem. Tanto plus nos quam Mater amavit.
(*a*)Ut *Gallina*, suos, *Milvum* si forte volantem
Desuper aspexit; pavitans vocat anxia pullos,
Amplexuque fovet blando, & circumtegit alis:
Sic Deus (exemplum Deus hoc nos ipse docebat)
Errantes licet usque vocat, gemituque requirit
Anxius, ut veniant, extentaque tegmina pandit
Alarum circum, materna & protegit umbra.
(*b*)Ut pupillam oculi circumtegit undique, nequid
Lædere nos, nequis temere contingere possit.
Tarde, cunctanterque olim eventura, priusquam
Eveniant longe antevidens, moderatur: & illo
Invito, fieri nihil, aut contingere fas est.
Quæ sinit esse mala, & consurgere tristia, miscet
Ipse salutarem seu detrectantibus ægris
Miscet amaritiem Medicus, placituraque prudens
Submovet. Afferrent interdum dulcia mortem,
Et gustata dabunt interdum *Absynthia* vitam.
Nec tamen angorum sinit ultra exorescere molem,
(*c*)Quam perferre queant vires: & cum mala crescunt,
Præsto est, virtutemque addit, duplicatque vigorem.
Temperat ille vices hominum, seriemque gerendæ
Per varios, vario rerum discrimine, casus
(*d*)Vitæ. Num tempus sibi quis, quo lucis in auras

(a) *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Matt. 13. v. 37.
(b) *Custodivit quasi pupillam oculi sui*. Deut. 32. v. 10.
(c) *Non permittet vos tentari supra id quod potestis; sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*. 1. ad Cor. 10. v. 13.
(d) *Sciebas tunc quod nasciturus esses?* Job. 38. v. 21. *Nescio qualiter in utero meo apparuistis ..... Mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem*. 2. Mach. 7. v. 22. & 23.

Esset venturus tenebrosa matris ab alvo;
Aut queis mavellet recipi, vagireque cunis,
Optavit? Numquid Patriam, certosque Parentes
Præstituit sibimet quisquam? quave indole, quonam
Ingenio, qua statura, facieque futurus?
Ut sibi complacuit, DEUS omnia: nos nihil horum.
(*a*)Non album e nigro, neque quem jam degener ætas
Infecit, nigrum possis præstare capillum.
Sed neque fas nostris nostram componere vitam
Auspiciis. Meditate etiam, beneque acta sagitta
Absilit, & plerumque alio, quam intenta minatur
Mens; cadit incassum, atque in ventum effunditur ictus,
Humana intervertuntur meliora repente
Consilia. Obscuris mens undique septa tenebris,
(*b*)Quid ventura dies, quid ventura afferet hora;
Instabili graditur passu, titubatque, neque ullum
(*c*)Certum habet, aut tutum, possit quem prendere cursum,
Quo se cumque ferat, qua qua se vertere tentet:
Cæca via est, ancepsque iter, & vestigia fallunt.
Omnia turbari incerto, impellique videntur
(*d*)*Casu*. At nil *casu*, quod nil nisi nomen inane est,
Contingit. Quæ sub, supra, quæ sorte videntur
Ancipiti volvi, & temere intercurrere; magna
Desuper, & falli ignara ratione reguntur.
(*e*)Confusamque sinu, deturbatamque profundo
Hanc jubet, aut illam Dominus procedere sortem.

Quæ

(a) *Non potes unum capillum album facere, aut nigrum*. Matth. 5. v. 36.
(b) *Futura nullo scire potest nuntio*. Eccl. 8. v. 7.
(c) *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ*. Sap. 9. v. 14.
(d) *Tempus, casumque in omnibus*. Eccl. 9. 11.
(e) *Sortes mittuntur in sinum; sed a Domino temperantur*. Prov. 16. v. ult.

(*a*) Quæ sint, quæ fuerint, & quæ ventura sequentur;
Quæque forent etiam, paullum si verteret ordo,
Qui nunc est rerum, videt unus, & omnia miro
Consilio totum dispensat, & ordine magno.
(*b*)Dissimulat tamen, atque adeo nescire videtur
Ecquid agant homines: Nec confestim irruit ultor
Impatiens: videt ausuros, nec vincula nectit,
(*c*)Nec libertati sceleratos impedit usus.
(*d*)Sed tamen ille hominum ridet molimina, & unus
Omnia componit, placido & regit omnia nutu;
Quidquid contra homines tendant, contraque repugnent.
(*e*)Net fila ipse manu, stamen subtemine texit
Arcano: & quamvis rumpi, invertique videntur
Fila, sed incepto numquam de tramite aberrant.
En juvenem *Isacidem* probroso e carcere raptum
Evehit ad solium: tota illum *Ægyptus*, & ipsi
Invidi, & immites trepidanti poplite adorant
(*f*)Fratres, quem, puerum insontem, & nil tale merentem,
Post intentatam crudeli funere mortem,
Nil veriti tamquam vilem venumdare vernam.
En rursum quam sublimis diademate cinctus
Regifico incedit, cui crux infanda parata
Nuper erat. Sed momento Deus omnia retro
Egit, & immani trabe, qui præstruxerat illam
In-

(a) *Scit præterita, & de futuris æstimat, & signa, & monstra scit antequam fiant, & eventus temporum, & sæculorum* Sap. 8. v. 8.

(b) *Et dixerunt: quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?* Ps. 72. v. 11.

(c) *Apposuit tibi ignem, & aquam: ad quod volueris porrige manum tuam*. Eccl. 15. v. 17.

(d) *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsanabit eos*. Ps. 2. v. 4. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*. Prov. 21. v. 30.

(e) *Telam quam orditus est super nationes*. Isa. 25. v. 7.

(f) *Et incurvati adoraverunt eum*. Gen. 43. v. 28.

(*a*)Infonti, pendet fcelerum fabbricator *Amanus*.
Nec femel aut iterum tantum hoc. Nulla extitit ætas,
Quæ non his paria, aut certe his affinia paffim.
(*b*)Nempe humana regit Deus: & fubvertit iniquos
Plerumque, & vindex fæpe eft, ultorque piorum.
Aft etiam finit interdum fe extollere fontes
Impune, & faftu, & pompa, & circumdat honore,
Divitiifque onerat multis, & profperat auro.
Interea finit in vinclis, luctuque jacere,
Traducique odiis, rerumque effe omnium egenos,
Vexarique pios. Hoc tu miraris, & audes,
(*c*)Cur hoc tam lentus patiatur, pofcere cauffas?
(*d*)Tu quis, homo, es? Numquidne Deo fapientior es tu?
Dic mihi, fi nofti, quanam ex parte aera rupit
Quod tete afflavit vibratum fulmen ab alto?
Quamve viam tenuit volitans nervo acta fagitta?
Quofve maris fluctus veniens fidit uncta carina?
Ergo age, fume tibi mundi rectoris habenas:
Aude, inferque Deo lucem, ferto inclyte leges,
Queis melius deinceps regat, & fapientius orbem.
Nefcis, heu! nefcis, quæ pœnæ fontibus inftant
A tergo: nec quæ juftum expectantque, manentque
Præmia: quanta ferent abituri gaudia luctus!
Nigra albis paffim confundimus, albaque nigris.

Annuit

(a) *Sufpenfus eft itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo*. Efth. 7. v. ult. *Non nobis, fed Deo reddente ei quod meruit*. Efth. 16. v. 18.

(b) *Qui malignantur exterminabuntur: fuftinentes autem Dominum ipfi hæreditabunt terram*. Pf. 36. v. 9. *Non vidi juftum derelictum*. Ibid. v. 25.

(c) *Quare ergo impii vivunt, fublevati funt, confortatique divitiis?* Job. 21. v. 7. *& taces devorante impio juftiorem fe?* Habac. 1. v. 13.

(d) *Numquid confilium Dei audifti, & inferior te erit ejus fapientia?* Joa. 15. v. 8.

(a)Annuit iratus quædam DEUS, & bona sæpe
(b)Futilia, ambigua hæc negat, avertitque benignus.
(c)Et tacet interdum idcirco quia grandior ira est.
Quæ bona, quæque mala ad fugitivæ tempora vitæ
Circumscribuntur, nihili sunt, somnia quædam
(d)Sunt. Experrecti somno, ridebimus ista,
Attoniti, potuisse unquam tam ludicra, tamque
Exigua hæc nobis delusis magna videri.
Tempus erit, magno cum optaverit impius emptos
Luctus, pauperiemque, ignominiamque Piorum
Sanctam: cum vitæ illecebras, fastusque superbos
(e)Oderit. Interea, neque enim mora longa, quiesce:
Desine, qui fecit regat ipse, & temperet orbem.

CUSTOS

Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ps. 90. v. 11.

CARMEN XI.

HOc quoque providit DEUS, & de gente beata,
De primis cæli indigenis, manuumque suarum
Primitiis, facie insignes, pulchros mage luce,
Alatos juvenes tergo, ad solium propinquos
(f) Stare Dei solitos, ad nos descendere fidos

Cu-

(a) *Prosperitas stultorum perdet illos.* Prov. 1. v. 32. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Ad Rom. 1. v. 24.
(b) *Ne fictio deciperet animam illius.* Sap. 4. v. 11.
(c) *Secundum multitudinem iræ suæ non quæret.* Ps. 10. secund. Hebr. v. 4.
(d) *Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna.* Job. 20. v. 8.
(e) *Adhuc pusillum, & non erit peccator, quæres locum ejus, & non invenies.* Ps. 36. v. 10. *Hodie extollitur, & cras non invenietur.* 1. Mach. 2. v. 63.
(f) *Omnes Angeli stabant in circuitu throni.* Apoc. 7. v. 11.

Custodes jubet, atque infirmis corpore, mente,
(*a*)Esse dedit comitesque viæ, comitesque salutis:
Quis tantum sperare unquam? Quis poscere tantum?
Unus amabilior mortalibus omnibus, unus
Duntaxat stabilis, solusque fidelis amicus
Perpetua invigilans cura noctesque, diesque
Officiosus adest nobis pulcherrimus Ales.
Nec dedignatur (quamvis virtute, manuque
Et regere imperio, & poterat moderarier unus
Terrasque, & maria, & cæli septemplicis orbes)
Unius, immemorisque hominis vigilare saluti
Totus, & assiduo famulatu hærere, & adesse
Quamlibet ingrato, & nil prorsus tale merenti.
(*b*)Quacumque incedis, tecum it, ibi obambulat ante
Indefessus, & in manibus te fertque, tenetque;
(*c*)Necubi in obstantem lapidem, vepresve cruentes,
Offendasve pedem. Dormis tu; sed vigil ille
Semper adest, nec discedit, nec deserit unquam
Incomitatum. Etsi in cælum peccare rebellis,
Insanusque audes; necdum tamen ille relinquit,
(*d*)Necdum destituit, necdum aspernatur alumnum.
Quin vocat errantem, dextraque reducere tentat:
(*e*)Interdumque etiam nolentem cogit amice
Ne pereat, neve infando miser ardeat igne.
Si scires quantis ignarum te ille periclis
Eripuit! Quoties te expansis abdidit alis!
Et quot, quam sævos ultro obvius ægide, & ense,
Cir-

(a) *Missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis*. Ad Hebr. 1. v. ult.
(b) *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te*. Exod. 23. v. 20.
(c) *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*. Ps. 90. v. 12.
(d) *Non dimittet cum peccaveris*. Ex. 23. v. 21.
(e) *Cogebant eum Angeli dicentes: surge, tolle uxorem tuam, & duas filias, quas habes: ne & tu pereas in scelere civitatis*. Gen. 19. v. 15.

Circumfrerdentes procul arcuit ictibus hoſtes.
Nam qui ſiderea ruit exturbatus ab arce
Lucifer, æterna invidia, infandoque furore
Accenſus, quod nimirum nos viderit illac,
Unde ruit præceps, unde excidit ille vocari:
(a)Perfurit, & lanienæ inhians, inſtarque *Leonis*
Circumiens, & rugitum dans ore; minaces
Proritat dentes, rabidoſque exaſperat ungues.
Hoc ille, hoc tentant quas ſecum proruit uno
Impete, millenæ, conjuratæque cohortes.
Et ſaturaviſſent rabiem, expleſſentque dolorem,
(b)Et tenebroſo obvolviſſent jam gutture vivos
Nos, niſi cæleſtis nobis cuſtodia adeſſet,
Noſque tueretur. Nam quis tot adire pericla,
Aut ſolus tantis poſſet ſe opponere monſtris?
  Aſpice *Tobiam* juvenem. Comes additus illi
Angelus, humana ſpecie, humano ore latebat:
(c)Eſſe putabatur juvenis quoque, & eſſe *Ananiæ*
Filius. Audiſtin' quam grandia munera, quanta
Officia exhibuit, benefactaque, & ut mala cuncta
Verterit in melius? Juveni connubia ſancta
Aſſeruit, deque infauſtis felicia fecit.
Lucifugum genium, ſeptem qui morte virorum,
Funeſtas totidem tædas, totidemque hymenæos
Fecerat; exegit procul, adſtrinxitque catenis.
Cæco etiam lucem Patri reparavit ademptam,
Cumque oculis extincta diu ſolatia vitæ.
Nam quænam cæli communi luminis uſu
Orbato, tenebriſque immerſo gaudia ſurgant?

Gnato

(a) *Adverſarius veſter diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem devoret*. 1. Pet. 5. v. 8.
(b) *Niſi quia Dominus erat in nobis .... forte vivos deglutiſſent nos*. Pſ. 123. v. 1. & 2.
(c) *Unde te habemus bone juvenis?* Tob. 5. v. 6. *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius*, Ibid. v. 18.

Gnato adventanti, ut poterat, pedibusque subinde
Offendens, puero innixus, baculoque, ruebat
Totus in amplexum; neque erat spes ulla videndi.
At vidit: siquidem hæc etiam *Raphaelis* alumnus
Attulit edoctus caro nova gaudia Patri,
(*a*)Felle linens oculos, qui vix non fecerat orbum
Patrem, qui juvenem piscis jam pæne vorarat.
Usque adeo Custos divinus tristia quæque,
Et cuncta in melius, vertitque in gaudia luctus.
Cum vitæ, mortisque inter confinia, & inter
Temporis, æternique vias versabimur ævi;
Tum vero fama est, oculis se sistere coram
Corporeis, iras acuentem sævius hostem,
Et quantas habet exsertantem in prælia vires?
Nam postrema quidem jam, decretoriaque hora est:
Horror ubique animum: circum præcordia sanguis
Stabit iners: oculi exstantes, crinesque rigebunt
Hispidi: anhelabit moribundo murmure pectus.
Ast dabitur, tanta hæc si vera est fama videre
Tum quoque te lateri adstantem, fidissime Custos,
Et qua fas, qua facta sinant, certamine tanto
(*b*)Scilicet afflictum pennis, palmaque tegentem,
Ac propulsantem vim vi, & victricibus armis.
Quam vellent, siqui te posthabuere, tuique
Vixere immemores, tum te coluisse, nec aures
Tam surdas vocique tuæ, monitisque dedisse!
Sera nimis miseris, desesque, & manca voluntas.
Nunc o sancte rege, & dubios tu dirige gressus
Ad meliora meos, quo possim temnere sævos
Hostes impavidusque tua defendier umbra,

(a) *Tunc sumens Tobias de felle piscis linivit oculos patris sui... statimque visum recepit*. Ibid. v. 13. & 15.
(b) *Scapulis suis obumbravit tibi, & sub pennis ejus sperabis*. Ps. 20. v. 4.

Teque duce, exutus mortalia, sumere pennas,
Adscribique choris vestris, abscribier astris.

PATIENTIA

Tu Deus clemens, & misericors, & patiens, & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Jonæ 4. v, 2.

CARMEN XII.

QUis furor o! Jam flagitiorum pondere fessus
Nostrorum, sese male sustinet, & gemit orbis.
(a)En plerique hominum, ceu prona animalia, terris
Hærent, immemores prorsus cælique, Deique.
Quot passim horrenda indomitæ perjuria linguæ?
(b)Quot dein, quot strages male sana *Superbia*, quotque
Lurida tabifico clam rodens omnia dente
Invidia, & frendens semper rabida ore cruento
Ira? Hæ sunt furiæ tres, tartareæque sorores,
Quæ simul erupere, errantque licentius inter
Nos. Superat tamen, & multo imperiosior effert
Probrosum caput execranda, insana *libido*
Auri. Aurum *Pluton* est, tartareusque tyrannus.
Hunc homines tamen invitum, tenebrisque vocatum
Infernis, fecere sibi numenque, deumque.
Parte alia furiosa magis, magis improba sævit
Bruta *Libido*, sibi male adaptans nomen *Amoris*.
Hæc *Sphinx* est, corpusque *Canis*, caudamque *Draconis*
Callida dissimulans, facie illecebrosa puella
Regnat, & huic *Pluton*, huic servit, obedit & aurum
Aver-

(a) *Delicta nostra creverunt usque ad cœlum*. 1. Esd. 9. v. 7.
(b) *Omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum, & fictio, corruptio, & infidelitas, turbatio, & perjurium, tumultus bonorum, Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchia, & impudicitia*. Sap. 14. v. 25. & 26.

Averto hinc oculos alio. Bella horrida cerno,
Semineceſque viros nantes in ſanguine multo,
Inter equos, inter confuſa cadavera, & arma.
Huc caput, illuc it truncum, & ſine nomine corpus,
Sanguineum ſpirans flumen, fluitanſque cruore
It manus: avulſa eſt, & adhuc audax rotat enſem.
Heu quorſum fugiam? Ibo domum penetralia, ibique
Cæde fatigatos oculos recreabo, videbo
Quid? Cædes etiam, atque armis pejora venena.
Nuſquam tuta fides. Clam toxica diluit uxor
Perfida; nec ſolæ norunt aconita novercæ.
Hic ſtruit inſidias frater fratri, ille Parenti
Impius, extremumque audet, cumulatque furorem.
Quin didicere ipſæ gnatorum ſanguine Matres
Fœdari, ſuametque effundere viſcera ferro.
Et ſupereſſe malum, & ſcelus his crudelius ullum?
At ſupereſt. Qui *Philoſophos* ſe nomine dicunt,
Mirum quo jam prorumpant. Sanctiſſima quæque
(a)Eradicare, & convellere dogmata tentant
Inſani: novi & *Enceladi*, novi ubique *Typhœi*
Sacrilegos armant calamos in ſancta, Deumque.
En dejecta oculos, vultus dejecta decoros,
Nuda pedes, trahitur manibus poſt terga revinctis
Religio, portans immania vincula collo,
Inter clamores ſceleratos. Impia turba
It circum captæ inſultans, iteranſque cachinnos:
Nec ſinit, audiri gemitus, luctuſque Piorum.
Siccine? Et hæc auſa impietas impune triumphet?
O ubinam DEUS eſt? Ultores Numinis eſte
Vos montes, cadite o! Mare tu ſuperobrue, voſque

(a) *Ecce inimici tui ſonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput*. Pſ. 82. v. 3. *Promittunt ſe violare ſancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & dejicere gladio ſuo cornu altaris tui*. Judith. 9. v. 11.

Densa catervatim obruite orbem fulmina; flammæ:
Hæc ego; & interea ridet mitissimus iras
(a)Has Deus. Et Solem nasci discrimine nullo
Sontibus, & pluvias jubet, & descendere rorem
(b)De cælo. Exsurge ingemino, exsurge, exereque ensem
Fulmineum, vindexque esto, caussamque tuere
Ipse tuam. Quare obdormis? Dormire videtur.
Tanta Deo est mansuetudo, patientia tanta!
Non hominum ritu Omnipotens irascitur: Ille
Quandocumque volet meritas infligere pœnas
(c)Nusquam illum reus effugiet, nusquamque latebit
Abditus. Exiguas vires violentior ira
Arguit. Ingenio Clemens Deus est, quia nempe
(d)Quæ vult cumque potest. Vel cum jam plectere sontes
Cogitur, horrendos strepitus ciet ante, minaxque
Fulgurat, & vacuo tonitru sine fulmine terret.
(e)Ardentem vibrat gladium, multumque, diuque
Cunctando, & coram circumsonat, obstrepit arcu.
Terror is elicuit gemitum, expressitque dolorem:
Pœnitet ah! tibimet vix, necdum voce, sed imo
Pectore, inauditus dixisti; ast audiit ille,
Et satis hoc fuit: omnipotens elanguit arcus
(f)Illicet: imbelles manibus cecidere sagittæ:
Pacifica inclusus vagina obmutuit ensis.

Tan-

(a) *Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos*. Matt. 5. v. 45.
(b) *Exsurge Deus Judica caussam tuam*. Ps. 73. v. 22. *Exsurge, quare obdormis Domine*. Ps. 43. v. 23.
(c) *Tuam manum effugere impossibile est*. Sap. 16. v. 15.
(d) *Misereris omnium quia omnia potes*. Sap. 11. v. 24. *Cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos: subest enim tibi cum volueris posse*. Sap. 12. v. 18.
(e) *Nisi conversi fueritis gladium suum vibravit, arcum tetendit, & paravit illum*. P. 7. v. 13.
(f) *Agam, & ago pœnitentiam super malo, quod cogitavi ut facerem ei*. Jer. 18. v. 8.

Tanta Deo nostro est bonitas, clementia tanta!
Jusserat in *Ninivem* armatum terrore, minisque
Ire, & sic meritæ gentique, urbique propinquum
Excidium, stragemque extremam edicere Vatem.
Detrectabat onus vero, diversaque Vates
Littora, & oppositos *Cilices*, *Tarsumque* petebat.
Ibitne invito cælo? Datus in mare præceps,
Vivusque horrendo *Pistricis* ventre sepultus
Soles tres totos, ingentique inde receptus
Portento incolumis: jam tum mandata capessens,
Implebat clamore vias, perque omnia passim
Compita; per totamque urbem, hoc mœstissimus ore
Ingeminabat atrox, & lamentabile carmen:
(a)*Quadraginta dies:* & tota a culmine fundo
Vertetur *Ninive*, & vastam dabit ampla ruinam.
Terribilis sed enim simul hæc vox impulit aures,
Perculsi *Ninivitæ* animis, tactique dolore,
Flebiliter tristes plangebant pectora palmis.
(b)Degrediens solio Rex ipse, ingentia luctus
Signa dat. Hirsutis includens corpora setis,
Nullos ore cibos contingit: tempora, crines
Deformat cinere: exemplum, luctumque sequuntur
Omnes. Ipsæ etiam pastu pecudesque, gregesque
Arcentur: gramen nulla unquam, nulla neque amnem
(c)Delibat quadrupes: lactantes ubere matrum
Abrepti; cælum complent balatibus agni.
Parceturne Urbi? Omnino. Licet irrita Vatis
(d)Dicta, minæque cadant: lacrimæ, gemitusq. precantum

(a) *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Jon. 3. v. 4.
(b) *Surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere* Jon. 3. v. 6.
(c) Ibid. v. 7.
(d) *Misertus est Deus super malitiam, quam loquutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Ibid. v. ult. *O mucro Domini . . . ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.* Jer. 47. v. 6.

Divinum impendentem ictum, gladiumque retundent.
Usque adeo noster, si fas hoc dicere, frangi
Est facilis fletu Deus, & placabilis ira!
(a) Et tamen eluvione olim pessumdedit orbem
Totum: vorticibus flammarum absorbuit urbes
(b) Quatuor, & fumant etiamnum: fæmina retro
(c) Pene inconsulto aspiciens, sal facta repente est.
(d) Obtrectatores *Mosis* tres ima dehiscens
Sub pedibus, vivos tellus, & Tartarus hausit.
(e) Quadrupedem inter quadrupedes incedere Regem
Fecit, & immundas ad pastum quærere glandes.
Non ita nunc; silet usque Deus: dormire videtur
Altius ac olim, neque jam prorumpit in iras
Ut quondam. Quid enim? Puer est, & prorsus inermis
In Matris gremio, pendens & ab ubere dormit.
Qui Leo terribilis quondam; nunc mitior agnis
(f) Agnus, pacificans quas irritavimus iras
Patris; sanguineas mactatur victima ad aras.
Non, ut erant olim, in manibus sunt arcus, & ensis.
Hærent infixi clavi, immani, atque profundo
Vulnere, & omnipotens clavis tribus e cruce pendet,
(g) Consilians iterum Mundum Patrique, sibique.
(h) Divina idcirco nunc est Patientia major.

JUSTI-

(a) Gen. 7.
(b) Gen. 19. *Vide interpr. ibi*.
(c) *Versa est in statuam salis*. Ibid. v. 26.
(d) *Dirupta est terra sub pedibus eorum . . . Descenderantque vivi in infernum*. Num. 16. v. 31. & 33.
(e) *Ex hominibus abjectus est, & fœnum ut bos comedit*. Dan. 4. v. 30.
(f) *Pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. Ad Coloss. 1. v. 20. *Quasi Agnus mansuetus qui portatur ad victimam*. Jer. 11. v. 19.
(g) *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. 2. ad Cor. 5. v. 19.
(h) *Secundum altitudinem cæli a terra, corroboravit misericordiam suam*. Ps. 102. v. 11. *Quæ superabundavit in nobis*. Ad Eph. 1. v. 8.

HEROICA JUSTITIA

Deus Fidelis, & absque ulla iniquitate Justus, & Rectus. Deut. 32. v. 4.

CARMEN XIII.

Credite, Mortales, atque huc advertite mentes,
Verax & Justus Deus est, & fallere nescit,
Nec vero falli. Adjecit promissa, minasque:
Magna illa, horrendas vero has: implebit utrumq.
(a)Volventur stellæ in præceps, compagine cæli
Rupta solventur, cælumque & terra peribunt;
Verba Dei stabunt. Nullas hic nectere fraudes,
Nullos mercari, aut emptos obtrudere testes,
Insanumve forum, falsa aut tabularia possis.
(b)Non ille aut damnare Pios, aut solvere sontes
Ignorans quid agat, temere delusus iniquis
Testibus. Humanus nempe hic, & pessimus error.
Deinde odium nullum, nulla illum gratia flectit.
Non patitur quemquam peccare impune; perinde
Illi est qnidquid eris, seu Rex, sive infima plebes.
(c)Quidquid sint homines, coram illo nil sumus omnes.
Non quid quis fuerit; sed quid quisque egerit unus
Expendit: libransque æquato examine lances,
(d)Præmia pro meritis, aut pœnas cuique rependit.

(a) *Vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.* Jer. 1. v. 13. *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Lucæ 21. v. 33.

(b) *Vere enim Deus non condemnabit frustra, neque omnipotens subvertet judicium.* Job. 34. v. 12.
Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam. Sap. 6. v. 8.

(c) *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Isa. 40. v. 17.

(d) *Reddet unicuique secundum opera ejus.* Ad Rom. 2. v. 6.

Fert equidem dextra palmas, ensemque finistra;
Omnipotens sed utraque manu est, multoque cruore
(a) Ebrius ardet adhuc, sitiensque est sanguinis ensis.
(b) Illius ad nutum volat atra, & jussa facessit
Mors: idcirco homines æquo pede proterit omnes,
Et nihil Heroas, Reges nihil illa veretur.
(c) Non equidem abripitur, non excandescit in horas,
More hominum Deus. Expectat, procrastinat ultrò
Tardus vindictam. Sed enim implacabilis ultor
Prorumpit tandem, & quas dudum continet iras,
(d) Effundit. Veluti indignatur, & aggere rupto,
Quo stagnabat iners olim, & sine murmure, tandem
Ingens præcipitat spumoso vortice flumen,
Secum iram, stragemque ferens, sonitumque, metumque,
Et certam silvis, gregibusque, virisque ruinam.
Vix illac Pastor stans forte in vertice rupis,
Evasit, stragemque oculis exterritus hausit.
Nec meminit jacturam ovium, pecorumque suorum;
Nam sibi adhuc horrens totus, montique veretur.
Sed nihil ista, nihil. Majores aggerat iras
Omnipotens. Immortales accendier ignes
(e) Jussit, & angusto, & tenebroso carcere condi,
Qua coit in centrum tellus. Furit intus anhelus
Ignis; & obstructæ horrescunt lugubrius umbræ.
Ne tu hic Tartareum *Flegetonta*, amnemque severum;

Neve

(a) *Inebriatus est in cælo gladius meus . . . gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe*. Isa. 34. v. 5. & 6.
(b) *Ante faciem ejus ibit mors*. Habac. 3. v. 5.
(c) *Numquid irascitur per singulos dies?* Ps. 7. v. 12. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Isa. 30. v. 18.
(d) *Quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit*. Isa. 59. v. 19.
(e) *Præparata est enim ab heri Tophet, a Rege preparata, profunda & dilatata. Nutrimentum ejus ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Isa. 30. v. ult.

Neve puta hic *Stygiam* tristem, pigramque paludem.
Ludicra sunt isthæc. Urunt illi acrius ignes.
Majores multo quam quas finxere Poetæ
Solvuntur pœne. Quænam sint vera, docebo.
Tum cum de nihilo Deus orbem, & cuncta vocabat,
Angeli in Omnipotentem conspirare superbi
(a)Ausi, supplicia hæc primum subiere tremenda.
Hi sunt tortores hominum, torquentur & ipsi.
Immanes heu! tortores, queis mille nocendi
Artes, insidiæ mille, & sævissima semper,
Et mixta invidiæ rabies; quod mitior usque est
Erga homines Deus, & nec promptas exerit iras,
(b)Nec simul ut peccant, cogit jam pendere pœnas.
(c)Quin ad se ut redeant vocat, invitatque benignus:
Nec nisi post seram, vult plectere crimina, mortem.
Ergo indignantes illi in miracula rerum,
Transformant sese. *Tigres* modo sunt, modoque *Ursi*,
Impastique *Lupi*, atque ungues, rictusque minaces
Exsaturant odiis, ululantque, & morsibus hærent:
Fit jam qui nuper *Tigris* de *Tigride Vultur*,
Sanguinem edax inhiat miserorum, atq. intima tundit
Viscera, rimaturque epulis, & verberat alis,
Incumbitque; facitque alto sub pectore nidum.
Ast alii induti furias, ac terga draconum,
Vipereos stringunt ad pectora, collaque nodos;
Denteque, & attactu, & suffectis sanguine, & igni
Inspirant oculis saniem, aspergunt que venenum.
Sed quis, fando, illas queat unquam dicere pœnas,
Aut infandà ullis tormenta includere verbis?
Supplicium majus sibi sunt, & mutuus horror

Con-

(a) *Paratus est diabolo, & Angelis ejus*. Matt. 25. v. 41.
(b) *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*. Ad Rom. 9. v. 22.
(c) *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Ezech. 18. v. 30.

Consortes pœnarum ipsi. *Discordia* pernox
Accubat, & miseris præcordia ad intima tædas
Nigro adipe, & putri *Furiarum* sanguine tinctas
(*a*) Subdit, & immortale odium incenditque, fovetque.
Ardentes oculorum orbes truculentior ira
Efferat, horrificatque immanius: undique atroci
Dentum stridore, horrendisque ululatibus aures
Rumpunt: crudescit laniena reciproca, necdum
Carnificina iras explet, satiatve furorem.
Eminet in pœnis quotquot sunt, præque nefandis
Tormentis, & præ flammis crudelius angit
(*b*)Avertisse Deum faciem, avertisseque vultum,
Cujus ab aspectu toti dulcedine rorant
Cæli, cui Sol compositus, cui sidera sordent:
Et facile potuisse frui, æternumque beari,
Nec superesse ullam sibi jam spem deinde videndi,
Et neque fas tantos unquam finire dolores.
(*c*)Heu! Suspirabunt mortem, mortemque vocabunt
Incassum. Absorpti nunquam absumentur ab igne.
Semper erunt vincti vinclis, tractisque catenis,
Inter commixtas ultoribus ignibus umbras,
Inter & ultrices vivaci sulphure flammas.
Hæc Deus in sontes nolens, & pæne coactus.
Sed quam ultro ille Piis ingentia præmia, palmas
Dividit, & facit immensum, & sine fine beatos!
Divitias Regum spernunt. Opulentius illi
Regnant. Sublimes Solem ipsum, & sidera calcant.
Nulli ibi sunt gemitus, aut luctus. Quidquid acerbi est
Inter

(a) *Hic est gladius occisionis magnæ, qui obstupescere eos facit, & corde tabescere, & multiplicat ruinas*. Ezech. 21. v. 14. & 15. *Ibi fletus, & stridor dentium*. Matth. 13. v. 42. & 50.
(b) *Juxta immunditiam eorum, & scelus feci eis, & abscondi faciem meam ab illis*. Ezech. 39. v. 24. *Etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel*. Ps. 67.
(c) *Desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis*. Apoc. 9. v. 6.

Inter mortales illis longe exulat oris.
(*a*)Nam lacrimas Deus ipse manu detergit amica
Sanctorum ex oculis. Procul hinc lethumque, laborq;
Angorque, & mœror teterrima nubila, et omnes
Quæ tacitæ rodunt mortalia pectora curæ:
Quæ pulsæ exilio terris cessere: ibi regnant
(*b*)*Pax* animi, & secura quies, *Concordiaque* inter
Sese, & purus *Amor*: solis nam sedibus illis
Est sincerus *Amor*: neque fert imbuta veneno
Spicula, nec nigro tingit clam felle sagittas.
Non sic sese aliquis; quin tantum diligat omnes
Felices socios, fortunatosque sodales:
Alter in amplexu alterius suavissimus hæret,
Alter, & alterius gestit, plauditque triumphis.
Risus ubique, & ubique lepor, cantusque, chorique,
(*c*)Deliciæque immortales, Candorque, Fidesque.
Auget lætitiam veterum meminisse malorum.
(*d*)Nam qua mensura, quondam, dum vita fluebat
Mortalis, conjurati crevere dolores;
Hac rursus tum deliciæ, tum gaudia crescunt.
(*e*)Instar torrentis sancte ebria pectora inundat
Semper inexhausta, & nunquam interitura voluptas.
Deliciarum equidem tantarum fons, & origo
Ipse illis Deus est. Felices cominus illum
Aspiciunt: nam cesserunt ænigmata, & umbræ,

Quæ

(a) *Absterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Apoc. 21. v. 4.

(b) *In loco isto dabo pacem dicit Dominus exercituum.* Agg. 2. v. 10.

(c) *Sancti ejus exultatione exultabunt.* Ps. 131. v. 16.

(d) *Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. ad Cor. 3. v. 8.

(e) *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ps. 35. v. 9.

(*a*)Quæ procul aspectu divini luminis arcent,
Mortalesque hebetant visus, oculosque profanos.
Jam coram totum aspiciunt, totoque fruuntur;
Nec capit humanum tam grandia gaudia pectus.
Vos o! Felices estis, nimiumque beati!
(*b*)Felicesque eritis, donec Deus altus olympo
Regnabit, sceptrumque manu, imperiumque tenebit!

PULCHRITUDO

Quorum si specie delectati Deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Sap. 13. v. 3.

CARMEN XIV.

SIquis pulchri hominis nil miraretur, & unam,
Quam jacit a tergo, peramaret perditus umbram;
Ac repens pedibus, pecudum de more, quaternis,
Inter blanditias, inter mulcentia verba,
Amplexus mille, & mille oscula porgeret umbræ:
Proh quantæ in miserum sannæ, risusque creparent
Undique! Quæ talis, quæ te dementia cæpit
Tanta? Quid instabilem, fugitivam amplecteris umbram?
Nonne vides, quam sit Dominus mage dignus amari?
Hunc sequere, hunc & ama. Sed nos imitamur iniqui
Hæc eadem, quæ tantopere objurgamus acerbi
Censores: furor idem, idem nos fascinat error.
Umbras insani sectamur, amamus, & umbras.
Repimus, & lippos oculos vix tollimus unquam
Ad rerum-Dominum: & cum sit pulcherrimus unus
Ille; illo nobis formosior umbra videtur.
Sunt, fateor, cæli, Sol, Luna, & sidera pulchra.
Stulti homines specie illecti, captique, putabant
Esse

(a) *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* 1. ad Cor. 13. v. 12.
(b) *Et securitas in sempiternum.* Isa. 32. v. 17.

Esse Deos. At debuerant cognoscere, quanto
(a)Qui Solem accendit, Sole speciosior ipso est.
Ast apage ista, inquis: jampridem insania tanta
Excussa est, tantus jamdudum evanuit error.
Esto, & nec Solem jam homines, nec sidera adorent.
Quid juvat hoc, pejora sibi si numina fingunt,
Pejoresque deos, quam sunt Sol, sidera, Luna?
Fœmina quæ placuit Deus est: hæc sidere Eoo,
Hæc Luna, & Stellis, & Sole est pulchrior: illam,
(b)(Nec pudet hoc homines, ultroque fatentur) adorant,
Posthabito te, contemptu, Deus alme, nefando:
Quæ tibi deberi edixisti, quæ tibi poscis,
Cor totum, mentem totam sibi fœmina tollit
Prædatrix, & sacrilegas contra erigit aras,
Ac prope divini carni cumulantur honores.
(c)Fœmina principium luctus fuit una, malique,
Unaque mortales nos fœmina perdidit omnes.
Nulla unquam strages, aut pestis acerbior orbem
(d)Vastavit, nec tot populos exhausit, & urbes.
Multo quam torvus, profuso sanguine gaudens
Mars, scelerosa fuit Venus exitialior orbi.
(e)Pulchra quidem titillando alliciuntque, trahuntque:
Et *pulchri* unus inest amor omnibus, una voluptas;

Sed

(a) *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*. Sap. 13. v. 5.

(b) *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt*. Eccl. 9. 11.

(c) *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes moriuntur*. Eccl. 25. v. 33.

(d) *Multos enim vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab ea, via inferi domus ejus penetrantes in interiora mortis*. Prov. 7. v. 26. & 27.

(e) *Meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia*. Nahum. 3. v. 4. *Ne attendas fallaciæ mulieris. Favus enim distillans labia meretricis; & nitidius oleo guttur ejus. Novissima autem illius amara quasi absynthium*. Prov. 5. a v. 2. ad 4.

Sed cæcutimus, nec quæ sint pulchra videmus.
Eja age, & huicce tuæ pulchræ, bellæque puellæ
Deme animam. Quid jam superest? informe cadaver.
En extincti oculi jam sunt, & marcida frontis
Lilia, pallentesque genæ: nigroreque tincta,
Murice consumpto, male hiantia labra dehiscunt.
Excessere simul cum anima tanta illa venustas,
Ac decor, & teter successit pallor, & horror,
Incubuitque super tam fœde stragis acervum.
In vultu, inque oculis nidum fecere, cubantque
Horribiles visu, saturique putredine vermes.
(b)En consanguineos carnis, quem stultus adoras.
Umbram umbræ insanus sequeris. Quæ forma caduca
(c)Te rapit, umbra mera est animæ, custodia, carcer.
Umbra, & imago Dei, divinique halitus oris
Est Anima. Hæc jam compedibus, vinclisque soluta
Corporis, ut recreat sese, & quæ vincula rupit,
Tamque diu traxit, nec sensit; libera tandem
Miratur! Meminit cælestis originis: illac
Ardet abire fuga, & scelerata excedere terra,
Illacque, unde fuit sibi origo prima, reverti.
Pulchrior est cunctis cælestibus ignibus. Illam
Attoniti cælorum orbes mirantur euntem,
Quacumque incedit, pro floribus aurea spargunt
Lumina, consternuntque viam, pedibusque beatis
Sidera supponi, & calcari ardentque, petuntque.
Conjice, si poteris quanto est formosior auctor,
A quo processit tamquam levis halitus ille
Spiritus, auctoris rude vix imitamen, & umbra,
Stilla venustatis, divinæ particula auræ.
Aspexisse semel jam te, o pulcherrime rerum,
Di-

(a) *Putredini dixi pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus*. Job. 17. v. 14.

(b) *Educ de custodia animam meam*. Ps. 141. v. ult.

Divinique tui vultus pascique, fruique
Lumine, & in te oculos semel intendisse beari est,
(a)Consimilesque tui fieri, teque ore referre.
In te defixos oculosque, animosque tenentes
Pennati juvenes, primi stellantis Olympi
Indigenæ elapsos necdum sensere, putantque
Annos millenos bis jam ter, temporis esse
Punctum, dum coram te stant, tuaque ora tuentur
Assidui, aspectuque tuo, obtutuque beantur.
Vel sola innixi spe, te quandoque videndi
Coram; terrenam molem, mortalia membra
(b)Obliti, rapimur sursum, dulcissimus alto
Irradians, vigor incendit præcordia, totis
Undique divinus sese implicat ossibus ignis.
(c)Qualis defessus longo per confraga cursu
Exsertans linguam, singultuque ilia pulsans
Fontanos Cervus latices sitibundus anhelat.
Sic ego te irrequietus amo, cupioque beari
Adspectu, amplexuque tuo; Sic flamma medullas
Ambedit intimior; languensque ardore, sitique
Uror, & impatiens toto sic pectore anhelo.
(d)Hei mihi! namque diu detentus carcere, & exul
Ingemo, & extorris patria proh! distrahor a te!
Intuituque vetor, tenebris, luctuque sepultus!
(e)Quando erit, ut liceat vidisse, tuoque potiri
Amplexu, in faciemque oculos intendere coram?
(f)Quis me corporeo nexu hoc, & compede mortis
Exi-

(a) *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. Joa. 3. v. 2.
(b) *Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei & pars mea, Deus in æternum.* Ps. 72. v. 26.
(c) *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Ps. 41. v. 1.
(d) *Hei mihi! quia incolatus meus prolongatus est.* Ps. 119. v. 5.
(e) *Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ps. 41. v. 2.
(f) *Quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Ad Rom. 7. v. 24.

Eximat, & carnis laqueos, nodosque relaxet?
Jam satis exilio ingemui: miserere, & amanti
(a)Pondere magna diu quæ traxit vincula solve.
Interea, Deus alme, tuo largire Poetæ
Divinum lumen, divini & luminis auram:
Nempe ut de te semper jam cogitet, ipsum
(b)Et te, nam solus pulcher, dein diligat unum.

CÆLI DOMINUS

Cælum Cæli Domino; terram autem dedit filiis hominum. Ps. 113. v. 16.

CARMEN XV.

MŒsta recurrit hiems, neque jam mihi vivere fas est.
Obruor, hiberno ut video nigrescere cælum
Horrore: atratasque dies, caligine semper
Nocti consimiles, pluviasque, nivesque parari
Æternas, & quæ truncos, quæ marmora findant
Frigora, quæ cursu impediant, & flumina sistant.
Sub cælo hoc nati rident me: ajuntque necesse
(c) Hoc, ut deinde suo tellus det tempore fruges,
Arboreisque comis, & gramine vestiat agros.
Et cessaturam proventu, atque ubere partu;
Hibernis nisi nunc pluviis, nivibusque maderet
Ebria. Sed memini degisse ubi nubila nunquam
Obducunt tenebris hiberno tempore cælum:
Nix ubi siquando cecidit; videre cadentem
Attonitis similes pueri, juvenesque: ubi vixdum

In

(a) *Gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectante*. Ibid 8. v. 23.

(b) *Ecce tu pulcher es dilecte mi*. Cant. 1. v. 15. *Totus desiderabilis: talis est dilectus meus*. Cant. 5. v. 16.

(c) *Imber, & nix de cælo . . . inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit*. Isa. 55. v. 10.

In terram incubuit subito tepefacta liquescit:
Nec riget in glaciem, neque sursum tollere cristas
Audet, & in magnos concreta assurgere montes.
Et tamen illa quidem longe est felicior ista
Tellus. Nec solum quæ fert hæc omnia condit
Uberiore sinu, ac reddit meliora; sed ultra,
Plus viginti hic nec solo dum nomine nota
Nectareo poma, ac vario condita sapore,
Aspectuque etiam jucunda, & grandia mole
Fertque, refertque sinu nutrix opulenta suorum.
Nil tam dissimile huic quam tellus illa. Colono
Interea sua cuique placet: quam pastinat ipse,
Antehabet, præfertque aliis: gratissima tellus
Est sua cuique. Suis præstant hæc, illaque Matris
Munera, & indigenas indefesso utraque lactat
Ubere: contentusque sua unusquisque superbit
(a)Matre. Ubertatem Deus impartitur utrique
Amplam, diverso, atque alio, varioque tenore,
Quo Dominum se esse ostendat. Sic imbribus isthic
(b)Præcipit & nivibus descendant; impedit illic,
Et jubet ire Hiemes sudas, semperque serenas.
Vult hic Phæbeo Æstatem candere rubentem
Igne; illic autem æstivo intercedere Soli
Nubes, ac large montes, camposque rigare:
Continuoque migrare alio, lucemque, diemque
Reddere, nec multum sisti, cæloque morari.
Subsumus, atque humiles concludimur undique cælo
Excelso: & quamvis magna inde incommoda, & inde
Proveniunt iterum quam plurima commoda vitæ;
At faciem hanc, illam cælo dare, nulla potestas

(a) *Visitasti terram, & inebriasti eam: multiplicasti locupletare eam.* Ps. 64. v. 10.
(b) *Præcipit nivi ut descendat in terram, & hiemis pluviis.* Job. 37. v. 6.

Quidquid conemur, nulla est humana facultas.
Terrarum imperium Dominus communicat ultro
Nobiscum, at cæli arbitrium sibi servat habendum.
(a) Cum tonat (hæc Domini vox est) cum desuper aures
Verberat, & jugulo flammatis imminet alis
Impigra Mors; pallor vultus, tremor occupat artus:
(b)Stare loco nescit, subsultat, palpitat & cor
Haud aliter quam supplicii altum pegma, locumque,
Carnificemque videns propiorem, jamque parata
Instrumenta necis, pavet, aspectuque fatiscit,
Concutiturque reus: premit, extrema instat & hora.
(c)Ecquis erit, Dominum qui cæli in nubibus æquet?
(d)Sipariorum illas instar revocatque, vocatque.
Ictu oculi totum involvit, totumque repente
Cælum operit, nostroque aspectu subtrahit; inde
Ictu oculi rursus, pandit, retegitque serenum.
Cum ruit, & sæva inter murmura, fulminaque inter
Funditur effusa tenebrosus grandine nimbus;
Nil opis humanæ contra est; diffugit arator,
Tristis & agricola, & scruposi fornice saxi.
Vix tectus, deflet sata læta, suosque labores,
Et spes momento absumptas, & turbine raptas.
Hac illac volventi oculos mœstissima rerum
(e)Undique se facies aperit; neque pascua campis
Apparent usquam, viridis neque frondibus arbos:
Nec

(a) *Intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Ps. 17. v. 14.
(b) *A voce tonitrui tui formidabunt.* Ps. 103. v. 7.
(c) *Quis in nubibus æquabitur Domino?* Ps. 88. v. 7.
(d) *Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum.* Job. 36. v. 29.
(e) *Depopulata est regio, luxit humus: quoniam devastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum: confusi sunt agricolæ, ululaverunt vinctores.* Joel. 1. v. 10. & 11.

Nec ſaltem ſupereſt viduatus culmus ariſta,
Aut frondens reliquus conſumpta pampinus uva:
Spirant horrorem omnia, mœroremque, famemque.
Impetuoſa quidem minus, & ſine murmure, nolens
Audiri, inceſſu pigro, taciturnaque, lento
Agmine præcipitat cælo Nix; ſed tamen illam
Propulſare nefas, damnumve repellere. Senſim
Inſidioſa cadens, immani pondere tectis
Incubat, & montes onerat, campoſque, lacuſque.
Nulla, viatorem ſupereſt quæ ducat euntem
Semita: & immenſi medio velut æquore ponti
Navita, ſic hærens errat, dubiuſque vacillat.
At necdum ceſſat: ſuper hanc venit altera, adurens
Perſtringenſque oculos. Paullatim deinde liqueſcit:
Debilitata imbre inteſtino tecta fatiſcunt:
Cælo etiam pluit innubi, repluitque: perennes,
Interea dum tabeſcit, nix invehit imbres.
Jam lympha, atque oleum, ac vinum ipſum ſectile ferro
Fit: ſanie, & multo concreto ſanguine turgent,
Rumpuntur: digiti extremi: mala ſtiria naſo
Ambuſto pendet: cutis arida, & aſpera tactu
Finditur: invito tintinnant murmure dentes.
Intimiora etiam penetrabile frigus in oſſa
Sævit: & accenſo niſi te vallaveris igne,
Flammatamque ſtruem lignorum objeceris hoſti;
Vincat enim, vitæque comes calor oſſa relinquat.
Et quid jam pluviæ? Numquis prohibere ruentes
Imperio, aut queat exturbare, ac demere cælo
Triſte ſupercilium, nitidamque reducere frontem?
Num contra reſides premere, edictoque vocare
Nubes? Aut hos, aut illos cum navigat alto
Aut compellare, aut nutu compeſcere ventos?
Non ita. Nil homines aliud, nil poſſumus ultra,
Quam ſurſum aſpicere, ac Dominum, Regèmque precari,

(a) Qui pluvias terræ parat, & qui pondera ventis
Indidit, & gradiens ſuper, impellitque, regitque.
Ibam olim (memini, ac nimium meminiſſe neceſſe eſt)
Infidum per iter pelagi, iratoque vehebar
Oceano: nihil hic nimium auſos eſſe Poetas,
Expertus demum didici. Ultra culmina ſumma
Malorum vidi arrectos aſſurgere montes
Undarum, & colluctari, elidique viciſſim
Fronte, & ſpumoſa irrorari aſpergine nubes.
Nox ruit interea: rabidi magis *Africus* illinc,
Hinc *Eurus* fundo volvunt mare: nulla ſalutis
Jam ſpes: ceſſerunt Nautæ temone relicto.
Nunc hoc, nunc abies illud defeſſa recumbit
In latus: horrendum tabulæ, horrendumque rudentes
Strident, rumpunturque: atrox ululatus ad aſtra
Undiq. conſurgens dirumpit, & attonat aures.
Ecce autem majus quid. Per tabulata repente
Intima (ſuſpenſi qua lecti funibus) ibat
A puppi veniens ſuccenſæ ſulphure tædæ
Nigranti aſſimilis, fumoſus, & igneus orbis:
Et lente, & ſtrepitu nullo, nulloque tumultu
Progrediebatur, recta qua cæpit eundo.
Donec, qua major navi committitur arbor,
Erumpens, tonitru increpuit, vaſtumque fragorem
Edens; diſſecuit medium valido impete malum.
Reſtabant ſolum quæ circum ſpartea vincla,
Caſurum arctabant vix: nutabatque maligne
Vertice. Quam dubiam præbebant fulgura lucem
Unus nautarum manibuſque, oculiſque ſequutus;
Ægre & vix rupit tandem vincla illa bipenni.
Tum vero ipſe ſuo ultro pondere corruit ingens
Quan-

(a) *Qui parat terræ pluvias*. Pſ. 136. v. 8. *Qui fecit ventis pondus*. Job. 28. v. 25. *Qui ambulant ſuper pennas ventorum*. Pſ. 103. v. 3.

Quantus erat, mediis malus se proluit undis
Intacta in latus oppositum fugiente carina.
Et fuit illa salus nobis inde, unde periclum
Esse videbatur majus. Sperare, timere
(a)Nescimus: nostrum non est neque tempora nosse.

REFUGIUM

Deus noster Refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Ps. 45. v. 1.

CARMEN XVI.

QUam sumus ah! miseri mortales! Nascimur omnes
Flendo: sentimus primo ipso in limine vitæ
Quæ mala nos, & quanta manent, & pœnitet auram
Vitalem hausisse, & materno exisse sepulcro.
Flendo etiam morimur: lachrymæ, pars ultima vitæ,
Injussæ exiliunt, morientum & lumina claudunt.
Humanam luctus vitam concludit utrinque.
A luctu ordimur, luctu finimus eandem:
A fine in finem lacrhymarum uberrima vita est.
(b)Felices, quibus extremas, ægreque cadentes
Expressit jam mors lacrimas! Felicior ille
Qui necdum natus, nec vidit quæ mala fiunt
Sub Sole, & necdum cervice excepit acerbum,
(c)Triste jugum, infelices quod portamus *Adami*
Posteri, ab ipso utero jam Matris ad usq. sepulcrum.
Non solium, sceptrum, diadema, aut purpura Regum

(a) *Non est vestrum nosse tempora.* Act. 1. v. 7.
Primam vocem similem omnibus emisi plorans. Sap. 7: v. 3.
(b) *Et laudavi magis mortuos quam viventes, & feliciorem utreque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt.* Eccl. 4. v. 2. & 3.
(c) *Jugum grave filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Eccl. 40. v. 1.

Felices faciunt: non quos vertigine capti
Cæca, fumosos, vapidosque sitimus honores:
Non quæ divitiæ prope *Ditis* regna profundi
Amandatæ, ipsa invita, ægreque ferente
Natura, manibus passim effodiuntur avaris.
(a)Audent, & scandunt solium, perque aurea tecta;
Per constrata ostro volitant laquearia curæ
Mordaces, mentisque vagi, insomnesque tumultus;
Et rigidi medio nascuntur pectore sentes.
Nemo fuit, nemo est felix mortalis, eritve
Unquam. Infelices homines æque sumus omnes
(b)Nusquam inventa quies; semper quæsita. Recedit
Ac fugit, & nostris quam longe illa exsulat oris.
Ac veluti montes, quando e convalle profunda
Et procul aspicimus, contingere vertice cælum,
Sideribusque ipsis caput inseruisse putamus;
Subsidit tamen immensum, prorsusque perinde
Quantum humilis vallis tantum mons distat Olympo.
Sic itidem quos aut opibus, pompave, & honore
Extolli aspicimus, felices remur; at illi
Interea miseri sibi sunt, miserique perinde
Ac nos: & contra credunt nos esse beatos
Duntaxat; stultusque errore rependitur error.
Vita mare, & litus mors est, quo tendimus: illac
Imus per fluctus, & amararum undique aquarum
Conflictus, per mille vices, per mille pericla.
Vix respiramus: nam vix emersimus una;

Mer-

(a) *A residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terra, & cinere, ab eo qui utitur hyacintho, & portat coronam; usque ad eum qui operitur lino crudo, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis*. Eccl. 40. v. 3. & 4.
(b) *Oculus meus afflictus est, nec tacuit, eo quod non esset requies*. Thren. 3. v. 49.

(*a*)Mergimur ecce alia miseri, obruimurque procella.
Ventorum rabies siquando fessa remisit;
Mox redit asperior, positasque redintegrat iras.
(*b*)Nulla dies unquam tota est, qua lenior aura
Spiret, & irasci faciles non asperet undas.
Siquando ulla quies affulget; perfida rursus
Terga dat, ac velut umbra fugit, suspiria secum
Nostra ferens; sero, aut nunquam reditura deinceps.
Hæremus tabulis ægre, & vix: pectora nuda
Fluctibus objicimus, nec respirare potestas.
Obdurare animum, queiscumque & fluctibus actum
Perstare immotum, ceu stat *Marpesia* cautes,
Et nec sentire, ut blaterat bona turba sophorum;
Grandiloquæ nugæ, mera sunt, & inania verba.
Sentimus mala nostra nimis, neque marmore nobis
(*c*)Obriguit, neque fusum e ferro est, æreve pectus.
Ad cælum aspicere, & moribundos tollere vultus
(*d*)Spes una est. In te una salus, Deus alme. Perimus
Huc ades o! Misero succurre, extendeque dextram.
Vel dic: nam verbo tumidos tu frangere fluctus
Et potes, & plerumque soles: dic & satis hoc est.
(*e*)Impera, & attoniti venti, fluctusque silebunt:
Stagni instar, placidi sternentur: marmoris instar
Pigrescent, pedibusque dabunt iter æquora tutum.
Impera, & hac illac fugient, retroque reductæ,
Arrectæ stabunt undæ, siccumque profundum

(a) *Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum.* Jonæ 2. v. 6.
(b) *Cuncti dies ejus doloribus, & ærumnis pleni sunt.* Eccl. 2. v. 23.
(c) *Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est.* Job. 6. v. 12.
(d) *Spes mea tu in die afflictionis.* Jer: 17. v. 17.
(e) *In sermone ejus siluit ventus, & cogitatione sua placavit abyssum.* Eccl. 43. v. 25.

(a)Linquent, per mediumque mihi via tuta patebit.
(*)Impera, & immani siquod me gutture *Cete*
Hauserit, atque avida, vastaque voragine ventris
(b)Condiderit, vomet incolumem, ac me in littore ponet
Servatum bis ab utro utro majore periclo.
Siquod in obscurum barathrum, caveamve *Leonum*
Dejicior præceps, ingentique ostia saxo
(c)Desuper occludant, nec sit spes ulla relicta;
Tu placidos nutu efficies, cicuresque *Leones*,
(d)Oraque compesces multam sitientia mortem.
Ante pedes illi innocui, blandique jacebunt,
Agnorum ritu, complaudentisve catelli,
Et palpanda manu præbebunt colla, jubasque:
Si me compedibus geminis, manicisque revinctum
In quater accensam gravius, graviusque furentem
(e)Fornacem de me victrix manus impia trudat;
Non me destitues ibi tu: tu vincula franges
Ferrea: tu solves ærata ab compede plantas:
Et gradiar medios, media fornace, per ignes
Incolumis neque dum tenues violare capillos
Audebunt flammæ, neque dum contingere vestes.
Tamquam essem circum rorantibus undique fultus
Flo-

(a) *Et mare divisisti ante eos, & transierunt per medium maris in sicco.* 2. Esd. 9. v. 11.

(*) *Cete utique plurale; sed genitivo itidem plurali, in quo illud usurpato*, Cete *etiam est.*

(b) *Et dixit Dominus pisci*, & *evomuit Jonam in aridam*. Jonæ 2. v. ult.

(c) *Adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum.... Allatusque est lapis unus, & positus est super os laci.* Dan. 6. v. 16. & 17.

(d) *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora Leonum, & non nocuerunt mihi*. Ibid. v. 22.

(e) *Ceciderant in medio camino ignis, ardentis, colligati*. Dan. 3. v. 23. *Et non cessabant qui miserant eos ministri Regis succendere fornacem*. Ibid. v. 46.

(a)Floribus, indutusve rosis, ibi rore madebo;
Et respirabo placidas placidissimus auras.
Hæc Deus & tu olim fecisti, & quando libebit
Efficies. Quod si nolis, & sæviat ignis,
Tuque finas, procul usque a me & videaris abesse:
(b)Atque: *Ubi*, dic, *ubinam Deus est tuus?* acta nefanda
Impietas rabie, morienti clangat ad aurem;
(c)Nempe ibi tu mihi eris præsens, animosque viriles
Addes, queis possim crudelem spernere mortem.
Versa, *&* *manduca*, dicam pleno ore. Triumphus
Hic major, minor est flammas cohibere furentes:
Effugere illud erat; sed enim hoc est vincere mortem.
Ecce adsis modo tu, Deus alme, in utrumque paratum
Me: quodcumque voles; hoc me quodcumque juvabit.
Aut fugere irrisam, aut irrisæ occumbere morti.

DOMINUS EXERCITUUM

Dominus Exercituum nomen ejus. Isa. 48. v. 2. Amos 4. v. ult.

CARMEN XVII.

INcassum struit aerias ad mœnia turres,
Incassum æratas vigilat defendere portas,
Et tumido iratos bombo *Mars* evomit ignes;
Excubiisque urbem, ac densa statione coronat.
Urbs captiva solo sternetur tota, ruetque,
(d)Ni Dominus custodem agat, & circumtegat illam.
Contra, si Dominus tutabitur; impia frustra

Arma

(a) *Et fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quicquam molestiæ intulit*. Ibid. v. 50.
(b) *Ubi est Dominus Deus tuus?* Mich. 7. v. 10.
(c) *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*. Job. 13. v.
(d) *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Ps. 126. v. 1.

(*a*)Arma frement circum. Veluti insano obstrepit unda
Murmure, & attollit circum spumasque, minasque;
Sed tandem fessa, atque ad rupem illisa recedit.
Rege sub *Ezechia*, pene obrupta, peneque capta
Lugebant *Solyma*, & nil non crudele timebant.
Barbarus, assuetusque deos contemnere victor
Cum prope centenis bis millibus ibat ad urbem.
Ac demens insultabat Regique, Deoque.
Rex pius interea ad cælum tendebat inermes
(*b*)Cum fletu, gemituque manus, Tu, qui regis *Israel*
Sublimisque *Cherubinis* accumbis, & unus
Es Deus, & Regum terræ Rex, quique jubendo,
Et nutu cælum, terramque, & cuncta creasti,
Eja age, caussa tua est: audi quæ, quamque nefanda
Assyrius. Tu deturba, tu sterne superbum,
Te putat ille, instar statuarum, instarque deorum
Fictilium, quos comminuit, quos tradidit igni
Irridens. Fac te esse, sciat, Dominumque, Deumque:
Fac, sciat, esse tuam dextramque, iramque potentem.
Audiit, & cælo Omnipotens miseratus ab alto,
(*c*)Octoginta hominum, centumque, & millia quinque
Dat morti, atque improviso uno demetit ictu
Angelus. Undabat cruor undique, & undique onusti
Tanta

(a) *Bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, ut salvem te, & eruam te, dicit Dominus.* Jer. 15. v. 20.

(b) *Oravit in conspectu ejus, dicens: Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium Regum terræ, tu fecisti cælum, & terram.... Audi omnia verba Sennacherib, qui misit, ut exprobaret nobis Deum viventem... Nunc igitur Domine Deus noster, salvos nos fac de manu ejus, ut sciant omnia regna terræ, quia tu es Dominus Deus solus.* 4. Reg. 19. a v. 15. ad 19.

(c) *Factum est igitur nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Ibid. v. 35.

Tanta strage ipsi montes, campique gemebant.
Nec cladem illius noctis, nec funera quisquam,
Explere, aut ullis queat unquam expromere verbis.
Non tamen interiit Rex impius. Esse superstes
(a)Debuit, ut cladem totam sentiret, & inter
Horroremque, metumque, & strata cadavera, posset
Vix reperire viam, vix morti vertere terga
Tantillum. Nam mox ferro confossus ab ipsis
(b)Gnatis, æternas fugit indignatus ad umbras.
Sic plerumque hebetat, confringit, & impia ridet
Arma Deus. Siquidem mors, & victoria parent
(c)Illi uni, nutusque suos, sua jussa sequuntur.
Nec semper vult de cælis accire ministrum
Alipedem, ultorem. Jubet ille; aciesque, ducesque
(d)Imbellis gladio, vel clavo fœmina fundit:
Vel puer in funda & lapide. En procedere nescit
Armatus, galeamque, ensemque, ut inutile pondus
Abjicit, & torpet belli ad præludia *David*,
Et puer, & pastor, rudis est, & inutilis armis.
Quinque sibi lapides, en arma, elegit; at unus
Sat fuit. Ut primo contorsit verbere fundam;
(e)Corruit immani, scopulosa mole *Gethæus*
Cum gemitu, introrsumque lapis cerebro altus inhæsit.
Non secus ac nubes prætergressa, ardua pulsans
Sidera ferali cono, concussa trisulco

Ful-

(a) *Vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit*. Ibid.
(b) *Adramelech, & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio*. Ibid. v. ult.
(c) *Non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet dat dignis victoriam*. 2. Mach. 15. v. 21.
(d) Judith: 13. v. 10. & Judic. 4. v. 21.
(e) *In tollendo manum saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ: nam invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ*. Eccl. 47. v. 5., & 6.

Fulmine, & ab summis radicibus eruta, grandi
Sylvarum fremitu, tundit terram cyparissus.
Prorumpit Victor, detractoque ense, jacenti
Nubiferum abscindit caput, ostentatque trophæum.
(*a*)Consurgit plausus: Potuit *Saul* vincere mille;
Sed tu, *Jessiades*, vincis bis millia quinque.
Tu tamen interea: sunt isthæc rara, reponis,
Nec passim eveniunt. Ego contra dicere pergo,
Plerumque hæc fieri. Non humana arte reguntur
(*b*)Bella, neque humano ingenio victoria surgit.
Immigrat improvisa alio, manibusque proterva
Avolat, & spes humanas traducere gestit.
(*c*)Fortia quæque cadunt; surgunt infirma repente:
Et lapis exiguus, casu de monte revulsus,
Ingentem vasta prosternit mole colossum,
Auro, atque argento, ferroque, armisque superbum.
Esse Deum, occultamque manum, quæ clam regat arma,
Consensere omnes gentes. Hoc magna subinde
Viribus imperia exiguis deleta docebant,
Resque adeo bello variæ; sed nomen inane
Palladis & *Martis* nequidquam in vota vocabant.
(*d*)Nempe invisibilis manus est, quæ præsidet armis,
Estque exercituum Dominus Deus. Incutit ille
Desuper, at lubet, his, illisve, adimitve timorem:
Ingenium, vires, animum, ut vult, demit, & addit.

En

(a) *Et præcinebant mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Reg. 18. v. 17.

(b) *Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non salvabit me.* Ps. 43. v. 7.

(c) *Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.* 1. Reg. 2. v. 4. Dan. 2. v. 34. & 35.

(d) *Dei quippe est adjuvare, & in fugam convertere.* 2. Paral. 25. v. 8. *Dabo pavorem in cordibus eorum .... terrebit eos sonitus folii volantis.* Levit. 26. v. 36.

(*a*)En cur parva manus sæpe immensa agmina fundit,
Ut sancti annales passim, & monumenta profana,
Ætatesque omnes millena exempla ministrant.
(*b*)Huc ego te, magnum compello, *Jossua*, testem,
Cujus ad imperium, *Jericunthis* mœnia prorsum
Strata solo, non balista, non ariete crebro;
Sed clangore uno, & geminato horrore tubarum.
Te quoque, bellipotens o *Samson*, te Gedeonque
Magnificos testes, & te, *Machabæe*, vocabo
Juda huc. Imparibus quoties vos viribus hostes
Fudistis? Quantos confusæ stragis acervos,
Maxilla tu asini, *Samson*, vos ense dedistis?
Nec te prætercam, nostra ut quoque tempora tangam,
Austriaca (satis hoc fuerit) de gente, *Joannes*:
Quem super & *Marios*, super & duo fulmina belli
Scipiadas, & quos alios quæ subdidit orbem
Jactat *Roma* duces, *Naupacti* gloria tollet.
Te tremuit, stetit & medio conterrita cælo
Odrysium numen, pullata, & pallida Luna.
Agnovit te victorem, abjecitque tridentem
Neptunus, tibi & imperio, tibi & æquore cessit.
Tu mare, *Naupacti* circum quod littora lambit,
Thracum effecisti sparso undique sanguine nigrum.
Tu cladem pelagi classem, lunataque contis
Agmina vicisti, submersistique profundo:
Dum pius ille senex, *Pius*, & cognomine *Quintus*,
Quem

(a) *Quomodo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia? Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?* Deut. 32. v. 30.

(b) *Deficiet enim me tempus ennarrantem de Gedeon, Barac, Samson, Jephte, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna .... obturaverunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Ad Hebr. 11. v. 32. & seq.

Quem tunc ornabant sceptrumque, saeerque tiaras,
Urgebat precibus, tibi ut hæc victoria tanta
Inde exercituum ab Domino ad te missa veniret.
(a) Ah pereat quicumque Deum obliviscitur, inque
Milite, & insanis cassam spem ponit in armis?

DEUS SCIENTIARUM

Deus Scientiarum Dominus est. 1. Reg. c. 2. v. 3.

CARMEN XVIII.

Belligerare manu, & *Martis* concurrere campo
Haud magnum est. Pecudes quoq.; quadrupedesq. feræque
Hoc faciunt. Pugnant *Thauri*, pugnantque *Leones*:
Cornuaque, atque ungues, dentesque in vulnera miscent
Fulmineos: large cruor it per colla, per armos.
Rugituque tremunt, & inundant sanguine cautes.
Nonne vides, quanto concurrunt impete, quanta
Se rabie, & strepitu laniant *Felesque*, *Canesque*?
Ne tu (crede mihi) nimium confide: periclo
Id facias, medius si vis componere pacem.
Bella *Coturnices* etiam, & fera prœlia tentant;
Namque agrum in medium, pugnæ, caussaque furoris
Pabula si jacias, mox in certamina tendunt
Hinc, atque hinc: atque adversis confligere castris,
Et rapere irrumpunt rostris pugnacibus escas.
Mitis inermis *Olor*, siquando e nubibus alte
Bellatrix *Aquila* imprudentem invasit; in iras
Surgit, & Armigerum *Jovis*, haud perterritus hoste
Tanto, sustentat luctamine, verberat alis:
Et quis erit tandem duce dux animosior illo,
Qui cantu vocat Auroram, cui purpurat alto,
Ceu

(a) *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedet cor ejus*. Jer. 17. v. 5.

Ceu Regi, cristatus apex, perque ardua colla,
Perque torosa cadit, clypei instar, pectora, crebris
Mixta albo circumvolvens se purpura rugis?
Nemo hoc impavidus magis, aut animosior unquam
Accendat Martem, aut ardentius impetat hostem.
Auden' ut belli horrorem, fremitumque tubarum
Bellaces imitantur *Apes*? Concurritur: ingens
Fit strages: pugnant Heroum more: pericla
Spernunt, magnanimamq. petunt per vulnera mortem.
Prœlio item viles vel *Musca*, & *Aranea* certant,
Insidiisque, atque oblongis per mutua nexis
Cruribus, enixe, & valide luctantur utrinque.
Bella gerunt itidem medio vel in æquore *Pisces*,
Quamquam sunt adeo stolidi, manibusque carentes,
Voceque. Magna ubivis, per terras, aera, pontum,
Quadrupedum cernas, volucrumque, & bella natantum.
Usque adeo quod cantare, & celebrare Poetæ
Usque solent; vulgare est, atque ignobile *Bellum*.
Ingenium, & doctas mentem excoluisse per artes
Hoc demum est aliquid. Nam vi, validisque lacertis
Præstat *Equus*, præstant *Taurus*, *Leo*, *Tigris*, & *Ursus*.
Vincimus ingenio tamen, exsuperamus & omnes
Squamigerum, Alituumque acies, turbasque ferarum.
Arte magistra, ignes incude, unca & forcipe ferrum
Versamus; supplet vires industria: & armis,
Cuspideque instructis telis, hastilibus, hamis,
Quæ parat Ars, portentosa, atque immania *Cete*
Confundimus, vastamque abducimus æquore prædam.'
(a)Atqui hoc a Domino est, ferrum tractare peritus
Quod Faber est, ac tam varias quam postulat usus,
Æri, Argento, Auro miras inducere formas.

Et

(a) *Implevi eum spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & are*. Exod. 31. v. 3. & 4.

Et quis non multo plus quam fabrilis, pensa
Et lanæ, & lini faciat, quæ sedula Mater
Sede sedens, tacite, assiduo indefessa labori
Incumbens; digitis, fuso, ducitque, trahitque?
Frigora ne charos lædant gnatosque, Virumque.
(a)Hoc iterum a Domino est: ignaros ille Parentes
Edocuit primos (vel tum, cum crimina pœnas
Poscebant) tegere, & circumdare corpora veste.
Queis quocunque modo excellis sapientia, & arte,
(b)Desuper immissa, ac divina hæc dona, Deique
Munera sunt: inde & veniunt, manantque, fluuntque
(c)Nil boni habes, montes quamvis congesseris auri;
Si tibi lux animo nulla est, mentemque profundæ
Desidiosam, ignavamque obsedere tenebræ.
(d)Ampla magis sunt hæc aliis; pretiosaque dona,
Præ quas gignit opes opulenta *America* fodinis,
Et præ quas nitidas dives parit *India* gemmas.
Siquid habes horum; cave, ne tua stultus, & excors
Esse putes. Non hæc nisu, humanoque labore
Proveniunt; quamquam veniunt, crescuntque labore.
(e)Non labor Agricolæ; sed quam Deus indidit almæ
Telluri, ubertas turgentes explicat uvas,

Præ-

(a) *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*. Gen. 3. v. 21.

(b) *Omnis sapientia a Domino Deo est*. Eccl. 1. v. 1. *Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam.* Dan. 2. v. 21.

(c) *Ubi non est scientia animæ, non est bonum*. Prov. 19. v. 2.

(d) *Melior est enim sapientia cunctis pretiosissimis*. Prov. 8. v. 11. *Nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne argentum in comparatione illius arena est exigua*. Sap. 7. v. 9.

(e) *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus*. 1. ad Cor. 3. v. 7. *Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum: ut educas panem de terra: & vinum lætificet cor hominis: & exhilaret faciem in oleo*. Ps. 103. v. 14. & 15.

Præpinguesque oleas: & vestit gramine campos,
Et tempestivis fœcundat frugibus agros.
Frustra alii sudant; nulla & lux hactenus illis
(a) Affulsit. Vapor est quidam, atque immissio quædam
Omnipotentis. Inexhausta illa ab Luce perennis
Lux oritur, quæ se nostris clam mentibus indit.
Anne putas potuisse homines sine numine divo
Hanc reperire artem, qua, quot sunt omnia (mirum!)
Sensa animi, licuit paucis includere signis?
Et facili dextræ ductu, cursuque benigno
Omnigenas mentis formas interprete penna
Edere, & albenti, ac bibulæ transmittere chartæ?
Absentesque etiam coram, quasi adire, loquique?
Et sunt prima rudimenta hæc. Quid cætera? Numquid
Quas leges adeo certas *Dialectica* menti
Præfixit, quibus ex alio quid rite sequatur?
Quid non? ut recto possimus tramite verum
Assequi, & eruere ex notis incognita: filo
Nostra regens semper tuto vestigia; nequa
Occupet incautam, & ludat Fallacia mentem:
Hæc, inquam, nunquidne Dei, Mentisque supremæ
(b) Munera non sint? Insanis nisi senseris esse.
Quid germana *soror Dialecticæ*, ad usque remota
Vulgo hominum magis, ad vigili vix pervia menti
Assurgens contemplatrix? Non sensibus ortum
Debuit hæc. Audet scrutari quæ procul omnem
Exsuperant sensum, Mentemque, Animumque, Deumq.
Te magis admiror *Geometria*. Tu nihil esse,
Esseve quid magicum ignaris, rudibusque videris,
Sed vero hunc adeo tristem, immanemque stuporem

(a) *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quadam est claritatis omnipotentis Dei sincera*. Sap. 7. v. 25.

(b) *Cor dedit illis excogitandi, & disciplina intellectus replevit illos*. Eccl. 17. v. 5.

Tu rides. Deus ipse, Deus, cum condidit orbem;
(a) Esse *Geometres* voluit, libramine terræ
Fundamenta locans: hanc & nobis dedit artem,
Perpetua, & certa mensura, pondereque usus.
Tu charta super exigua, exiguoque Trigono,
Maxima componens minimis; quid distet ab orbe
Nostro hoc Luna, quid excelsi magis usque Planetæ?
Quam facile pueros etiam instituisque, docesque.
Sat tibi si *latus est unum*, *duo & anguli* utrinque
Nota; alia ut *latera ignota*, atque ut *tertius ille*
Angulus haud notus, certo, subitoque patescant.
Majora his audet tua collactanea, tecum
Algebra nutrita. Hæc siquidem quasi nota fuissent
Jam, sic omnino quæ sunt incognita versat,
Hinc illinc *transponendo*, & quæ sustulit isthac,
Mutato adversa *signo* jam parte locando:
Addendoque, & *demendo*: & quæ maxima vis est,
Substituendo aliud pro alio. Quod repperit esse
Par *ignoto*; huic substituens procedit: & hisce
Queis credas nodis magis irretire latentem
Rem; prius ignotam explanat, panditque repente.
Et nonne hoc etiam est divinum, abscondita scire?
Atque intricando extricare, & solvere nodos?
Mensuram sic, & *Numerum* tractamus, ab alto
Edocti. *Pondus* vero (quippe hæc tria summus
Rerum Opifex opere in magno exhibuitque, deditque
Contemplanda oculis nostris) quanto impete, quanto
Ingenio, ad lubitum versantque, moventque periti?
Navem instar montis magnam e navalibus, apte
Mechanica applicitis *trochleis*, & *vectibus*, etsi
Usque

(a) *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ .... Quis posuit mensuras ejus, vel quis tetendit super eam lineam?* Job. 38. v. 4. & 5. *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*. Sap. 11. v. 21.

Uſque reluctantem, ventoſque, undaſque paventem
Abripit: & tanquam ſi turbine luderet; uno
Ictu a complexu terræ divellit, & altum
Nequidquam contra obnitentem trudit in æquor.
Uſque adeo ingenium valet! & ſic incitat augens,
Multo, & longe ultra quam poſſent brachia, vires.
Aſpice quam varia, atque ingentia pondera, parvo
Parte alia appenſo, explorat, libratque *Statera*
Romana. Exigui, magna eſt diſtantia *motus*
A centro; at magni, tanto eſt diſtantia eodem
A centro brevior, quanto hoc, quod corpore, mole
Eſt majus, ſuperat pondus, molemque minorem.
Scilicet *inverſa ratione* hinc *ponderis*, illinc
Intervalli, atque *ſpatii*, quo diſtat utrumque
A centro. Totidem ſunt hæc miracula, quamvis
Obvia. Vulgo omnes tractant Laniique, Coquique;
Sed tamen hæc pauci capiunt Myſteria *Libræ*.
  Et quanto eſt magis ingenioſum avertere fundo,
Vaſtaſque, & pigras *cochleis* ſiccare paludes?
At facit hoc, facit ultra *Hydraulica* machina paſſim
Surgere aquam ſurſum, & valido prorumpere in auras
Impete, & aſſiduo ſaltu, ludoque micare:
Tanquam oblita ſui, tanquam eſſet ponderis expers.
Et gravior tamen uſque eſt aere, quem ſuper effert
Seſe; aſt invitam ſurſum facit *embolus* ire.
Et quid ſunt tandem cuncta hæc? imitamina quædam
(a) Artificis magni, qui fundamenta pependit
Terræ, & *Aquis* leges dedit: immenſumque furorem
Oceani, exigua, quaſi vinclis, vinxit arena,
Ulterius tentare vetans, juſſuque coercens.

(a) *Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos: quando appendebat fundamenta terræ*. Prov. 8. v. 29. *circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem, & oſtia*. Job. 38. v. 10.

Quod Divina itidem fecit Sapientia prima
(c)Circumiens cæli immensum rapidissima gyrum:
Perque Maris tumide iratos placidissima fluctus
Incedens pedibus, quin tingeret æquore plantas:
Scilicet hoc cæli, *Astrorumque Scientia* nostra,
Nauticaque, ut possunt, imitantur, parvaque magnis
Aptando, exiguo cælum concludimus orbe,
Certasque ad gyrum leges præscribimus astris,
Tentamusque iter ambiguum, & vada cæca profundi
Aggredimurque viam audaces, & pergimus ire;
Quamlibet adversi fluctus, ventique repugnent.
(b) Ne dubita: dedit ille viam, qua salsa secare
Possemus, fragilique animam committere ligno;
Nec tamen absorberi undis, per totque pericla
Ire: tenere & iter certum qua semita nulla est.
Dein metiri orbem, ac Regionum scire, situsque
Regnorum, & quorsum cursum, aut intendere proram
Expediat breviore via, si *Bactra*, vel *Indos*,
Aut *Memphin*, *Meroenque* petas, contrave *Britannos*,
Aut *Batavos*, aut *Mexicea*, aut *Peruvia* regna.
Scire iterum ad Solis gyrum, Lunæque recursus
Tempora digerere: & nec sæcula prisca movere,
Aut turbare sua sede: & post inde futura
Præsignare etiam, atque ortus, obitusque notare
Astrorum, & certis cuncta hæc præfigere fastis,
(b)Indubia hæc inquam sunt, & cælestia dona.

Nec

(h) *Gyrum cæli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi*. Eccl. 24. v. 8.

(a) *Dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam*. Sap. 14. v. 3. *Ut non essent vacua Sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt*. Ibid. v. 5.

(c) *Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum:*

ini-

Nec minus eſt, potuiſſe homines, queis ſepta tenebris
Lux erat; exiguum ſaltem quid pellere, & ipſos
Ante oculos, ſeptem quibus eſt compacta colores,
Ponere diſtincte, ſingillatimque videndos,
Diſtractos omnes vitreo ruptoſque trigono:
Quis nobis tandem dedit? Omnino ille, tenebras
Qui mentis neſcit, qui Lux eſt. Ille profundis
Qui fecit primam e tenebris erumpere lucem;
Ætatem hanc voluit noſtram his ornare repertis.
Et pretioſa magis, non aut induſtria ſolers,
Aut vis ingenii; ſed *Sors* (ut ſæpe loquuntur
Nunc homines) *caſus* nil unquam tale putanti,
Conantive aliud, detexit, & obtulit ultro.
Sic & *Magnetis* vis eſt primo illa reperta,
Qua ferrum trahit ad ſeſe: hunc & indit amorem
Ferri ferro ipſi. Nihil ultra ſæcula priſca
Cognorant. Sed dein multis volventibus annis,
Sors iterum virtutem aliam, vimque undique miram,
Excelſamque magis detexit: & attulit orbi
Commoda tot, tot divitias, quot nempe per undas
Perque mare immenſum, tempeſtateſque furentes,
Longe ex orbe alio venientes pyxide, acuque
Confiſæ, nobis paſſim advexere carinæ.
Caſu itidem nil tale putans, dum ſulphura nitro
Miſcet homo armorum ignarus, bellique; tremendo
Pulvere concuſſit, totumque exterruit orbem:
Nil priſca arma juvant, neque jam defendere muros,
Aut expugnare ut quondam, & proſternere fas eſt.
Nec jam *Baliſta*, aut *Aries*, *Catapultave* quidquam
Efficiant. Expugnandi, bellique gerendi
Longe alia eſt ars, & ratio. *Bombarda* repente

---

initium, & conſummationem, & medietatem temporum, viciſſitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones. Sap. 7. a v. 17. ad 19.

Fumiferam attollens commixto sulphure noctem;
Mœnia subvertit momento, subruit Urbes.
Hoc uno invento, totus (quis credere tantum?)
Terrarum aspectum, faciemque aliam induit orbis.
Fortuito rursus morbos depellere, & usus,
Atque potestates herbarum, visque medendi
Fossilium, verbo, utilior *Medicina* reperta est.
Quo magis hanc opis, aut artis non esse pateret
Nostræ, qui ne tale quidem præsumere mente,
(a) Aut sperare. Dei sunt certe hi munera casus.
Jam regere imperio populos, sancireque leges
Quas decet, & motas apte discernere lites,
(b) Hoc opus Excelsi, atque Dei admirabile donum;
Ecce tibi geminæ lacrimis, clamoreque Matres
Implorant Regem. Prima infit: Filius unus
Cum mihi; tum Matri fuit huic & filius alter.
Utque ætate pares, oculos, atque ora, manusque
Consimiles adeo; ut vel Matres falleret error,
Sæpe etiam nos. Quippe ædes habitamus easdem
Cum parvis solæ gnatis. Hæc obruta somno,
Imprudensque suum, gremio quem forte fovebat,
Extinxit; sed enim surgens de nocte silenti,
Fessa ego cum primum proflabam pectore somnum,
Accessit, rapuitque meum: & jam morte peremptum,
Infantemque suum lecto, gremioque locavit
Me stertente meo. Simul ac lux alma refulsit;
Ubera, lac nato properabam: lumina clausa,
Pallorem mortis video. Exquisitius illum
Contemplans, signa & quædam variantia vultus
Obser-

(a) *A Deo est enim omnis medela*. Eccl. 38. v. 2. *Deus vester . . . vobis sorte divisit*. Jos. 23. v. 3. & 4. *In manibus tuis sortes meæ*. Ps. 30. v. 16.

(b) *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam*. Prov. 8. v. 15. & 16.

Observans; non esse meum, fraudemque malignam
Comperio. Vix finierat: succensa furore
Altera: Sicne, inquit, mentiri, illudere Regi
Audes? omnino meus, o Rex, ille superstes
Infans est. Puerum ista suum, infantemque tenellum
Se super injiciens male cauta, ignara peremit.
Quæ sua sunt, effrons mihi dat: mendacia vendit.
En litem. Quid agat tandem Rex? Nulli ibi testes
Omnino, nulla Instrumenta, probatio nulla.
Nec facile indicium hic aliquod captare, sequive.
Nec via, nec ratio est ulla, aut præsumptio tuta,
Quæ tam perplexam litem expediatve, regatve.
(a) Afferte huc, inquit, gladium, mediumque secate
Infantem vivum. Medium hæc; medium altera secum
Portet. At his verbis perculsa, exterrita Mater.
Ne tu hoc o! ne tu id jubeas, Rex optime Regum.
Nam mihi quod vivat satis est: ferat altera totum.
Ast illa: hoc melius quod Rex decrevit: utrique
Dimidium detur. Tum Rex: Date protinus illi
(b) Infantem vivum, cui prorsus viscera Matris
Sunt, quæque est adeo pueri expavefacta periclo.
Immissa huic fuerat Regi sapientia ab alto.
Sin minus haud facile ambiguam dignoscere Matrem.
Et nunquidne *Theologiæ* penetrare profunda,
Evehi & ad cæli culmen sublime licebit,
Ni DEUS & passus regat, & vestigia firmet?
(c) Hoc sancti præstant Libri, & quæ verba profari
Dignatus DEUS est ipse: & signata sigillis

(a) *Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes: & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem uni.* 3. Reg. 3. v. 25.

(b) *Date huic infantem vivum, & non occidatur: hæc est enim mater ejus . . . & timuerunt regem, videntes Sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.* Ibid. v. 27. & 28.

(c) *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Ps. 118. v. 105.

Septem, ne quisquam speret reserare suopte
Ingenio posse; hæc nobis dat sancta, profunde
Submisso, docilique animo, ingenioque legenda.
En cur delirant adeo veteresque, novique
Philosophi. Neque enim datur his mysteria Regni
Cælestis capere, idcirco, quia nempe superbi
(*a*)Sunt, ipsique sibi nimium arridentque, placentque.
Si tibimet, tumidus, prudens, sapiensque videris
Esse; hæc semper erunt tibi magna obstructa sigilla:
Atque die media, & media nil luce videbis.
Lux Deus est. Nulli sine luce agnoscere lucem
Fas. Neque nosse Deum, nisi tumet, *Spiritus alme*;
(*b*)Par *Patri*, *Genitoque* tua ad nos lumina magna
Desuper irradians, tuaque alta incendia mittas.
Sed neque fas est humana prudentia, & arte,
Ingeniove refrenare, & componere mores.
Quo nemo æterna est fama celebratior ullus
Legumlatorum, permisit furta *Lycurgus*.
Quodque horrent aures, exsecranturque: puellas
Luctari jussit nudas (solemnia quædam
Hæc gravis, & rigidæ *Spartæ*) Juvenumque maniplis
Mixtas, saltare, infamesque agitare choreas.
Vix infans natus quisquam, si forte vigore
Destitui, atque adeo ad bellum, & minus aptus ad arma
Esse videbatur senibus; prope *Taygeta* montem
In fossam (horrendum dictu!) immanemque cavernam
Præcipitabatur miser ille, & parvulus Infans.
Nec meliora *Solon* his: nec meliora dedere
Qui *Tabulas* Romæ dederunt *peccare vetantes*.
Et tamen hæ *Tabulæ* Patri jus esse volebant,

Ven-

(a) *Dicentes se esse sapientes; stulti facti sunt*, ad Rom. 1. v. 22. *Auferetur ab impiis lux sua* Job. 38. v. 15. *Ut videntes non videant*. Luc. 8 v. 10.

(b) *Quæ Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei*. 1. ad Cor. v. 11.

Vendere ter, gnatosque etiam demittere morti:
Atque impune cruore manus scelerare paternas.
In totidem rursus discerpi membra jubebant
(Tanquam essent pecudes) quot debita solvere pressi
Pauperie haud poterant. Dirum, infandumque macellum!
Et tamen hoc *Tabulæ* faciunt *peccare vetantes*.
Legumlatores omnes quotcunque fuere,
Philosophosque omnes quotquot sunt volve, revolve.
Fœde omnes labi interdum, atque errare videbis
Turpiter, atque etiam ipsum pejerare *Lycurgum*.
(*a*)Lex Domini est sola immaculata, atque undique sancta,
Quæ digito conscripta Dei, & clangore tubarum
Promulgata fuit fumanti in vertice montis.
(*b*)Sola hæc æternæ via tuta, & semita vitæ est.
Quæ non divina est, fert legum latio mortem.
Et jam sola manes, mihi tu dicenda leporum
Mater, & æthereo tu prima, *Poetica*, partu
Edita, Legifero & Vati data tu quoque prima.
Qua tu cunque is, Ambrosiæ diffundis odores:
Semper & ad numerum gradiens, pulcherrima semper,
Magnifice incedis. Tua te Germana, Sororque,
Quæ certa nescit gressus componere lege;
Admiratur enim, & vestigia semper adorat.
Tu sola æternare vales monumenta, virosque:
Nam lapide es *Pario*, solidoque perennior ære.
Quid sine te *Æneas*? nihil: & nihil esset *Achilles*.
Flexanima es tu, & sola potes mœrore jacentem
Erigere, & consolari, recreareque cantu.
Tu peregrinaris terris, neque semper inhæres.
Improvisa venis, volitasque, fugisque repente
Improvisa etiam: neque fas te persequi euntem,
Aut prensare manu; donec tu sponte benigne

Subri-

(a) *Lex Domini immaculata convertens animas*. Ps. 18. v. 8.
(b) *Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Matt. 19. v. 17.

Subridens, iterum redeas, rediensque serenum
Divini spargas quasi ludens luminis imbrem.
Cætera tu cælo assistis, cæloque moraris:
Ingeminasque Deo cantus: lituosque tubasque
Ore inflas: digitisque moves citharamque chelynque.

SCRUTANS COR

Tu solus nosti cor omnium filiorum hominum.
3. Reg. 8. v. 39. 2. Paral. 6. v. 30.

CARMEN XIX.

PEctore conclusum medio cor, & undique vallo
Perplexo septum gerimus. Penetrabile nulli est.
Scindit homo, & referat ferro penetralia terræ,
Et trahit inde quod attonitum tum palluit aurum,
Admirans, latebras vinci, & sua claustra recludi.
Quin barathrum explorat maris, immensumque profundum
Rimatur fune, & plumbo, descendereque audet
Illac, & ponti cæco sub gurgite gemmas
Vindicat, & gazam furacibus eximit undis,
Quin etiam canna oblonga sese inserit astris,
Astrorumque vias premit, implexosque meatus:
Et quam quodque viam, quem cursum quodque tenebit,
Quosque abitus peragent, reditusque, in sæcula mille
Non dubitat, certis Vates præfigere fastis;
At non humani penetrare in pectoris ima
Evaluit: neque eum juvat hic industria victrix
Sæpe alibi, totis cælo, terraque, marique.
Et tamen hocce parum est. Superis delapsus ab auris
Angelus, ingenium, viresque, hominumque labores
Immane est quantum superet, perque omnia vincat.
Nec

(a) *Parvum est cor hominis, & inscrutabile. Quis cognoscet illud* Jer. 17. v. 9.

Nec tamen humani potis illa repagula cordis
Vincere, inaccessas neque debellare latebras.
Colligit usque adeo totum se, seque coarctat
Intus, & ambiguis cor sese ambagibus abdit.
  Præterquam Domino, nulli hos intrare recessus
Fas. Geminæ arcani claves sunt: & dedit ille
Unam, cuique suam nobis; aliam sibi servat.
(a)*Scrutans cor* nomen divinum est, & Deus inde
Stemma sibi; titulumque, & vult adsciscere nomen.
(b)Olli cuncta patent tacita quæ mente revolvis
Clam, tecum vix, quæque adyto interiore recondis:
Quæ desiderio vix est amplexa fugaci
Ocyor & ventis, rapidisque citatior alis
Fulminis, introgressa, simulque egressa voluntas.
Intravit, fugitque etiam indeprensa, neque illam
Præ foribus stantes oculi sensere, neque aures,
Excubiasque tuas veniensque, abiensque fefellit.
Hæret, & interdum sese impedit, inque voluta
Mens vario, ancipitique irretitur labyrintho
Ipsa suo. Nolens gressusque, notasque viarum
Turbat: & ipsa suæ plane stupet inscia mentis.
(c)Ast introspiciens discriminat omnia, & omnes
Dinumerat gressus Deus, ambagesque resolvit:
(d)Et faciem ambiguam scelerum, tricasque bilingues
Expedit, ac toti orbi olim vulganda reservat.
  Nemo hominum menti, atque animo præscribere leges
Ausus

(a) *Ego Dominus scrutans cor*. Jer. 17. v. 10. *Scrutans corda, & renes Deus*. Ps. 7. v. 10.

(b) *Oculi Domini multo lucidiores sunt super Solem, circumspiciens omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*. Eccl. 23. v. 28.

(c) *Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam, & omnes vias meas prævidisti*. Ps. 138. v. 2. & 3.

(d) *Ipse revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris constituta, & lux cum eo est*. Dan. 2. v. 22.

Ausus, nec potuit. Sunt regna illa invia nobis.
Non amor, aut odium sanciri, aut pectore pellis
Nec desiderium contundi, aut lege vetari,
Aut perimi humana potuit satis. Usque latebit
Tutum; nec possis tenebrosum extundere furtum.
Altius assurgit, mentemque, animumque coercet,
Et desiderium vetat, atque indicit amorem
Lex divina. Est illa quidem mitissima; at imis
(a)Cordibus inscripta est, mediisque infixa medullis.
Tota anima, totis, quibus intus agitque, valetque
Viribus, ac totis, penitusque edicit amandum
(b)Corde,ac mente Deum. Hoc primum. Simile inde secundum
Inter sese homines nectens dulcissime, amare,
Ut se quisque, alium jubet. His contenta duobus
Divina est pulchri Lex quam suavissima amoris.
Etsi inter silvas, & inhospita lustra ferarum
Nutritus, neque dum vocem auscultaveris unquam
Humanam, neque mandata hæc exceperis aure;
Corde geres, hanc & Legem tibi dicet amoris,
Auctoremque tuum tua te mens ipsa docebit.
(c) Adveniet suprema dies, quo buccina signum
Terribilis dabit horrendum, & consurgere gentes
Undique, & ex imis eructari ossa sepulchris
Semesa, & sparsos cineres hinc inde coire
Rursus, & absumpta instaurari corpora, rursumque
Erigi,

(a) *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Jer. 31. v 33

(b) *Diliges Dominum Deum tuum ex tote corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.* Luc. 10. v. 27. *Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet.* Matth. 22. v. 38.

(c) *Dies tubæ & clangoris.* Sophon. 2. v. 16. *Canet enim tuba. & mortui resurgent.* 1. ad. Cor. 15. v. 52.

Erigi, & actutum sisti imperiosa jubebit.
(a)Ante tribunal divinum tum stabimus omnes,
(b)Quanto proh! quanto anttoniti exsanguesque pavore!
Tum demum secreta adyta, & penetralia cordis
(c)Humani incustodita, & nudata patebunt
Omnibus. Ut siqua grandi stupefacta ruina
Pandat se tellus imo, umbrarumque profundum
Sistat sese oculis patulum, trepidareque cernas
Insueta attonitos luce, & formidine Manes.
Huc ego *Philosophos* istos, qui credere nollent
(d) Esse Deum, arcanis nostris qui sensibus adsit
Præsens, qui fundo conantur vertere sancta
Dogmata, uti sistant sese, compello, citoque.
Huc veteratores vafros, prætendere vultu
(e)Præclaram solitos larvam pietatis; & hamos
Interea instruere; & secretos tendere casses,
Et simulare fidem, & fraudem prætexere risu.
Fingit *olorinas* interdum *Noctua* plumas
Subdola, velleribusque *Agni* didicere rapaces
(f)Delituisse *Lupi*, & balatum reddere voce.
Detrahet illa dies has larvas: frausque, dolusque
Victi aberunt, abituque suo, in sua quemque reponent.
(g)Tunc respirabunt quos atra calumnia pressit

In-

(a) *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi*. Ad Rom. 14. v. 9
(b) *Unusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustæ vultus eorum*. Is. 13. v. 8.
(c) *Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. ad Cor. 4. v. 5.
(d) *Et dixerunt: non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*. Ps. 93. v. 7.
(e) *Habentes quidem speciem pietatis; virtutem autem ejus abnegantes*. 2. ad Tim. 3. v. 5.
(f) *Veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces*. Matt. 7. v. 15.
(g) *Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem*. Ps. 71. v. 4.

Inſontes: & quas dudum traxere, videbunt
(*a*)In ſcelerum artifices translatas iſſe catenas.
Quæ pietas ſincera, olim dum vita manebat,
Conſpectum fugiens hominum, contentaque ſolo
Teſte Deo, obſcuris ultro ſeſe abdidit umbris;
(*b*)Efferet os ſacrum cælo, & regnabit Olympo.
Ceu regnat poſtquam latuit dudum obruta, tandem
Per pigra irrumpens, nocturnaque nubila Luna.

QUI FECIT MIRABILIA SOLUS

Pſ. 71. v. 15. Pſ. 135. verſ. 4.

CARMEN XX.

QUA tu eumq. oculos, mentemq. animumq. reflectas,
Divini Artificis ſurgunt impreſſa ſigilla,
Omnipotenſque ubivis manus eminet. Undique cælum
Portenta, ac portenta etiam fert undique tellus.
Sed tamen his, longo a pueris aſſuevimus uſu;
Nilque admiramur niſi rarum. Sydera, Solem
Spernimus immemores, at enim ſi forte minacem
Explicuit cælo barbam, crinemve *Cometa*,
Tum vero attoniti vulgo puerique, ſeneſque
Attollunt caput in cælum: oblitoſque quietis
Haud piget inſomnem admirando ducere noctem.
Scilicet excutimur ſomno, excutimurque veterno
Cum nova lux oculos perſtringit, cum tonat alte
Omnipotens, & quas fixit, rerumque perennes
Principio ſtatuit leges, nutu ipſe refigit.
Et facit interdum hoc Deus, ut torpore jacentes
Excitet

(a) *Juxta est dies Domini ſuper omnes gentes: ſicut feciſti, fiet tibi, retributionem tuam convertet in caput tuum*. Abdias v. 15.
(b) *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum ... & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te*. Iſ. 58. v. 8.

Excitet, utque ſua ſibi amicos protegat umbra.
Quam gentem Deus e reliquis ſibi legerat unam
Religione piam, ſanctiſque parentibus ortam
Servitio addictam infami, inſanoque labori
Vexabat *Pharao*, ac ſenſim delere parabat.
Armavit *Moſem* virga Deus, ireque juſſit,
Et portentorum magna vi rumpere vincla
Captivi populi, & Regem terrere ſuperbum.
O tu, ſi ſcires quantam, Rex impie, cladem
Et tibi, & *Ægypto* toti virga illa ferebat?
Principio in colubrum immanem converſa, ferocem
Exſertans linguam, improviſaque guttura pandens,
(*a*)Dentibus infrendens indignabunda; voravit
Quos ſimiles fecere Magi, aut finxere dracones.
Prodigium! Majora tamen portenta manebant.
Perculſus virga, mutata decolor unda,
(*b*)Obſcœno intumuit retro, obriguitque cruore
Nilus, & oblitus curſum, ſitiens ſtetit amnis.
Fruſtra inde innatis conati aſſurgere remis,
(*c*)Hæſerunt putri tumulati in ſanguine piſces.
Stagna, lacus, fontes, urnæque, & aquaria vaſa
Omnia ſanguis erant, horrebantque omnia tabo;
(*d*)Nec ſedare ſitim fas, nec reſtinguere lympha.
Rurſus ad imperium virgæ, erupere repente
(*e*)Spiſſa coaxantum triſte, abſurdeque canentum
Agmina ranarum. Agros, urbes, tecta, domoſque,
Ipsa-

(a) *Projeceruntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones: ſed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Ex. 7. v. 20.
(b) *Et elevans virgam, percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſervis ejus: quæ verſa eſt in ſanguinem.* Ex. 7. v. 20.
(c) *Et piſces qui erant in flumine mortui ſunt.* Ibid. v. 21.
(d) *Convertit in ſanguine flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.* Pſ. 77. v. 44.
(e) *Ebulliet fluvius ranas, quæ aſcendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lecti tui, & ſuper ſtratum tuum.* Ex. 8. v. 3.

Ipſaquemet penetralia, pulvinaria Regis
Peſtifera illuvie cum raucifono lamento
Omnia fœdebant, complebantque omnia ranæ:
Nec cibo ali; neque fas unquam dare lumina ſomno.
(a) Ranis dein culicum nimbi, horribileſque phalanges
Succeſſere. Æſtu accenſus veluti irruit Auſter.
Pulvereamque trahens tenebroſo turbine nubem,
Eripit, abducitque oculis lucemque, diemque.
Vulnera portantes, & inevitabile telum,
Atrox, atroci ſtimuloque, tubaque ciebant
Bellum, nulla unquam requie, nec pace ſequeſtra.
(b) His cognata phalanx ſuffecta eſt peſſima muſca,
Quam dixere *Œſtrum Græci*, cui nomen *Aſilo*
Romanum eſt. Audax, & ſanguinolenta caterva
Horrendis late implebat ſtridoribus auras.
Quoque magis biberat; mage mox ſitibunda bibebat
Effuſum rivis pecudumque, hominumque cruorem.
Hanc tamen aſperior clades, & plaga ſequuta eſt.
(c) Corrupto cæli tractu, teterrima peſtis
Ingruit, & pecudum genus omne, armenta, gregeſque
Exitio dabat, & morti. Validi ſub aratro
Interclusa anima, occumbebant alter, & alter,
Et ſuper hunc alius geminata morte juvenci.
Demittunt aures, patulis & naribus ægre
Spirant, & tremulo tundentes vix pede terram
Exanimi ſternuntur equi: paſſimque cameli;
Dulces exhalant animas: & cum grege toto,
Balatu in medio procumbit ſpes gregis agnus.

Nec

(a) *Omnis pulvis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti*. Ibid. v. 17.
(b) *Et venit muſca graviſſima in domos Pharaonis, & ſervorum ejus, & in omnem terram Ægypti*. Ib. v. 24.
(c) *Super equos, & aſinos, & camelos, & boves, & oves peſtis valde gravis*. Exod. 9. v. 3.

(*a*)Nec tamen *Isacidum* pestis popularier agros
Ausa est, aut pecudes, armentave dedere morti.
Et mirabatur; sed vero obduruerat Rex
(*b*)Impius, exemplum seris ætatibus olim,
Heu! nimium triste exemplum, ostentumque futurum.
Pulveris exigui jactu, cinerisque pugillo
(*c*)In cælum sparso, *Moses* nova vulnera genti
Intulit: insana serpens prurigine, fœdis
Ulceribus, papulisque ardentibus omnia vulgo
Corpora, contactosque artus sacer ignis edebat.
Nec vero hic juvere Magos præstigiæ, & artes
Circææ: probrosam hanc ab se avertere pestem,
(*d*)Nullis carminibus miseri potuere, neque herbis.
At Rex nec mentem insanam, nec ferrea corda
Exuerat: promissa dabat; promissa negabat.
(*e*) Elata *Moses* virga, cælum omne tumultu
Miscuit. *Ægypto* non unquam cognita grando
Fulminibus commixta ruit: tonat omne fragore
Insolito cælum, trifida face fulmen, & imber
Saxeus immani devastant pondere silvas,
Et nemora, & frondes circum, pecudesque, virosque.
(*f*)At vero *Hebræis* in *Gessen* omnia tuta.
Necdum Rex sapere, & necdum ad sese ipse redire.

(a) *De animalibus vero filiorum Israel nihil omnino periit.* Ib. v. 6.
(b) *Ingravatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.* Ib. v. 7.
(c) *Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cælum: factaque sunt ulcera vessicarum turgentium in universa terra Ægypti*. Ibid. v. 10.
(d) *Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera.* Ib. v. 11.
(e) *Extenditque Moyses virgam in cælum, & dedit Dominus tonitrua, & grandinem ... Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerant in agris ab homine usque ad jumentum*. Ex. 9. v. 23. & 25.
(f) *Tantum in terra Gessen, ubi erant filii Israel grando non cecidit*. Ibid. v. 26.

(a)Extenta rursus virga, nova plaga locusta
Siquid erat reliquum petrosæ grandinis iræ,
Consumpsit. Nusquam frondes, aut læta, virensve
Arbos, aut pomum, aut fructus, foliumve superstes,
Aut gramen. Nudi squallebant undique campi,
Inque voluta suo lugebat funere tellus.
(b)Rex incusabat sese, & resipiscere tandem
Velle videbatur; sed vix terrore solutus;
Rursus ad ingenium vecors, fraudesque redibat.
(c)Ergo iterum *Moses* virgaque, manuque minatus
In cælum, horribiles civit, sparsitque tenebras,
Quas palpare manu, quas attrectare licebat,
Et quales nunquam retro olim viderat orbis.
(d)Nulli accensi ignes poterant, funalia nulla
Aut lucem impertiri aliquam, aut solatia ferre,
Aut tam crudelem exturbare, aut rumpere noctem.
Nulli fas oculis uti, aut spectare propinquum.
(e)Diræ oculos tantum facies, simulacraque visu
Horrenda, & stridens terrebat sibilus aures.
In quo quisque loco fuerat, quasi compede vincti,
Per tres immoti steterunt noctesque diesque.

Et

(a) *Et extendit Moyses virgam . . . & mane facto ventus urens levavit locustas . . . Operueruntque universam superficiem terræ vastantes omnia. Devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat.* Ex. 10. v. 13. & 15.

(b) *Pharaon vocavit Moysen, & Aaron, & dixit eis: peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos . . . nec dimisit filios Israel.* Ibid. v. 16. & 20.

(c) *Extenditque Moyses manum in cælum, & facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus.* Ex. 10. v. 22. *Tam densæ ut palpari queant.* Ibid. v. 21.

(d) *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere.* Sap. 17. v. 5.

(e) *Sonitus descendens perturbabat eos, & personæ tristes illis apparentes pavorem illis præstabant.* Ibid. v. 4.

Et, quod mirandum magis est, ubicumque fuissent,
(a)Lux erat interea *Isacidis* placidissima ubique.
Et Rex attonitus: per me, inquit, jam licet, ite
Ite ait, at dixit vixdum, dixisse pigebat.
(b)Quin *Mosi* asperior: si dein se sistere coram
Audeat; exitium intentat, mortemque minatur.
Heu miser! in temet tuamet sententia vertet,
Et fatalis erit Gnato, Regnoque, tibique.
(c)Quotquot erant primigeniti, primæque parentum
Blanditiæ, cui Rex sceptrum, & diadema parabat,
Quique ad pistrinum, inter vincla, in carcere, Matre
Captiva est natus, nox, & mors abstulit una
Omnes. Nulla domus planctu, gemituque vacabat.
Plangor ubique, & lamenta, atrocesque ululatus
Orbarum Matrum, desertarumque sororum.
Credere nolebant oculis. Usque anxia Mater
Nil jam sensurum juvenem, surdumque cadaver,
Os ori adstringens, iterumque, iterumque vocabat.
Tum demum luctu immersus, patrioque dolore
Victus, uti vellent, *Pharao* concessit, abirent
Hebræi, ferrentque greges, suaque omnia secum.
Mansissetque utinam dictis. Sed pristina rursus
Impulit, avertitque retro sententia mentem.
(d) Quidquid in *Ægypto* fuit armorumque, ducumque

(a) *Ubicumque autem habitabant filii Israel, lux erat.* Ex. 10. v. 23.

[b] *Dixitque Pharao ad Moysem: recede a me, & cave, ne ultra videas faciem meam, quocumque enim die apparueris mihi, morieris.* Ex. 11. v. 28.

(c) *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti a primogenito Pharaonis qui in solio ejus sedebat usque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere ... Et ortus est clamor magnus in Ægypto; neque enim erat domus, in qua non jaceret mortuus.* Ex. 12. v. 59. & 30.

(d) *Junxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus.* Ex. 14. v. 6. & 7.

Apparat, insequiturque premens vestigia: currus
Sexcentos magnos, pluresque, securibus omnes
Armatos, vimque immensam, immersa agmina ducens
A tergo instabat *Pharao*; hic stabat mare contra.
Ut vidit *Moses* venientes, sustulit alte
(*a*)Virgam, & *Erythræos* percussit verbere fluctus.
Extemplo (mirum!) hac, illac diducier undæ,
Stareque, & undarum arrecti concrescere montes
Hinc, atque hinc. Mare divisum in latera ardua utrinque,
Terram inter fluctus, nudamque reliquit arenam.
Isacides properare fugam, qua pandit hiatus
Sese, qua nunquam visa antehac semita ducit.
Irruit & *Pharao*, demensque, iter illud apertum
Credidit esse sibi quoque. Jamque Aurora rubebat
Roscida, & ambiguo spargebat lumine terram,
Litore ab opposito cum cernens omnia *Moses*,
Significansque manu; jussit concurrere fluctus
Rursus, & in præceps revoluto pondere ferri.
Nulla mora: actutum gemino hinc, inde aggere moles
Præcipitavit; & immenso implicuitque, ruitque
Vortice vesanum Regem, currusque, virosque.
Obluctantur equi frustra, passimque supinos
Ad litus, galeas inter, clypeosque, rotasque,
Armaque, corporaque inter dilaniata virorum
Evomit assurgens curvato gurgite pontus;
(*b*)Rursus in abruptum sorbet, tumulatque profundo.
Tot nuper, nusquam apparebant. Nemo superstes
Nemo equidem fuit e nuper tot millibus unus.
En portenta. Deum jam tu admirare, & adora.

AN-

---

[a] *Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est*. Ps. 105. v. 9. *Erat enim aqua quasi murus a dextra eorum, & læva.* Ex. 13. v. 22.

[b] *Involvit eos Dominus in mediis fluctibus, . . . nec unus quidem superfuit ex eis*. Ex. 14. v. 27. & 28.

ANNUNTIANS FUTURA.

Annuntians quæ præterierunt, & quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.

Eccl. 42. v. 19.

CARMEN XXI.

DIvinandi avidi, ac rerum, sortisque futuræ
Anxii, & ignari Mortales, omnia frustra
Tentabant, siqua antegredi, explorareque casus
Dorso impendentes possent. Oracula adibant,
Extaque mactatarum ovium, hædorumque, bouumq;
Plurimaque auspicia ad cantus, aviumque volatus.
Omina quin totidem, præsagaque signa futuri
Captabant, quæcunque oculis objecta repente,
Aut inopinatum siquid pulsaverat aures.
Defectus etiam Solis, Lunæque labores
Ad conjecturam, vestigandique trahebant
Artes, & quanam cæli regione tonaret:
Astrorumque situm, & faciem, & quæ sidera cuique
Nascenti obtigerant, & quas cava utraque ferebat
Inscriptasque manu, designatasque figuras:
Somniaque, & quotquot deliria inania casso
Fatiloquarum anuum cudi potuere cerebro.
Et tamen hæc tua, *Roma*, fuit, tua, *Græcia*, quondam
Relligio. Lituo cælum ut diviserat Augur;
Auscultabatur, tanquam divina loquutus,
Tanquam scita Jovis daret, ac responsa deorum.
Roma orbis domina expectabat, ut arma moveret,
Educti cavea pulli pultemne vorarent?
Dictator, Consul, fasces ponebat, uterque
Territus, augurio siquid fortasse sinistro
Actum, cum dictus Consul, Dictator utervis.

Hoc bene, quod potior regno, potiorque supremo
Relligio fuit imperio; ſed digna cachinnis,
Dignaque ridiculis priſca illa oracula divis.
(a) Falſa deos falſos, fictoſque oracla decebant;
Verum vera Deum, qui ſolus ad uſque futura
(b) Intuitu penetrat, nullo & diſcrimine quæ ſunt,
Quæque fuere, & erunt videt, aſpectuque gubernat.
Inde equidem libitum quos ipſi eſt præſcia rerum
Eventurarum tacito Sapientia lapſu
Deſcendens implet: Sanctorumque ore profatur
(c) Eventura Deus. Sic tu qui carcere vinctus,
(d) Vinculisque inter eras inſons, qui vincula tandem
Mutaſti Ægypti imperio, tutiſſimus Augur
(e) Prædicti, ſibi quid vellent per ſomnia viſæ
Expreſſæ in Regis calicem uvæ? treſque caniſtri
Panis? quid volucres ſupra, circumque volantes?
(f) Quid niridæ, ac læta ſeptem pinguedine vaccæ
Inſignes? ac dein totidem macieque, fameque
Informes? quid ſeptem iterum modo pulcher opimis,
Et modo jejunis oneratus culmus ariſtis?
Sic Pater adſtantes coram moriturus *Jacob*
(g) Affatur natos duodenos, ſingula pandens
Ordine cuique ſua, & quanam regione morari
Unuſquiſque olim, multis volventibus annis
Deberet? quos ſorte datos habitare penates?

Sic

(a) *Prophetabant in Baal, & decipiebant populum.* Ser.13.v.13.
(b) *Quis ſimilis mei? vocet & annuntiet, & ordinem exponat mihi . . . ventura, & quæ futura ſunt annuntient eis.* Iſa.44.v.7.
[c] *Loquutus eſt per os Sanctorum.* Luc. 1. v. 70.
[d] *Eloquium Domini inflammavit eum. Miſit Rex, & ſolvit eum.* Pſ. 104. v. 19.
(e) Gen. 40. a v. 8. ad fin.
(f) Gen. 41. a v. 2.
(g) *Congregamini ut annuntiem quæ ventura ſunt vobis in noviſſimis diebus.* Gen. 49.

Sic *Moses*, *Samuelque*, etiam post funera, & expers
Mortis adhuc Vates, rapidoque simillimus igni
(*a*)Haud placitura quidem, nulla formidine, ad aurem
Regibus, ignari assentandi, oracla tonabant.
Nec minus impavidus *Micheas* tristia *Achabo*
Nuntia fert. Aderat venalis, & omnia Regi
Fausta adpromittens, lætissimaque omina jactans
Ariolus. Vatem hic præsagia vera canentem
(*b*)Excepit petulans colapho: excepitque catenis
Rex, iræ, mentisque impos, plenusque triumphi
Vana spe, curru tendit sublimis in arma,
Et Martem movet. At librata utcunque per auras,
(*c*)Atque incerta volans, temereque impulsa sagitta
Sibilat, ac pulmonem inter, stomachumque recepta
Singultantem animam, & spem Regi extorquet inanem.
(*d*)Undantemque canes linguntque, bibuntque cruorem.
Quid tu, cui Patris geminatus contigit ardor
Elia? Fame inaudita, horribilique gemebat
Urbs obsessa diu, circumdatuque undique vallo
(*e*)Hostili: caro empta dabant jam stercora victum.
Tu vero, fors promittis, mox omnia vertant
In melius, subitoque, amplam, vilemque futuram

 Anno-

(a) Exod. 8. & seqq. & 1. Reg. 13. & 28. & 3. Reg. 18. & 21. & 4. Reg. 1. v. 16.

(b) *Percussit Michaeam in maxillam*. 3. Reg. 22. v. 24. *Hæc dicit Rex: mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis, & aqua angustiæ, donec revertar in pace.* Ibid. v. 27.

(c) *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel inter pulmonem, & stomacum*. Ibid. v. 34.

(d) *Mortuus est autem Rex .... & linxerunt canes Sanguinem ejus*. Ibid. v. 37. & 38.

(e) *Facta est fames magna in Samaria, & tamdiu obsessa est, donec venumdaretur ... quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis*. 4. Reg. 6. v. 24.

Annonam cras. Irrisit te incredulus alte
Aulicus, in quem Rex cubito incumbebat, &: eja,
(a) Eja, inquit, fac de cælo descendere fruges,
Ceu grando ruit interdum, aut densissimus imber;
Necdum tanta fuat subito cras copia rerum.
At fuit. Obscura nocte improvisus ab alto
(b) Armorum impendentum horror, fremitusque pavore
Obruit, inque fugam attonitos procul impulit hostes.
Solliciti celerare fugam, tentoria, castra,
Sicuti erant, plenosque aggesta cibaria acervo,
Immensas & opes pavidi abjecere, fuitque
(c) Publica projecti vilissima copia victus.
Ipse suis oculis, fieri hæc qui posse negabat,
Vidit enim; sed nil potuit gustare (negarat
Hoc illi Vates) jussusque ab Rege præesse
(d) Portis; erumpentum urbe, intrantumque tumultu
Obrutus, atque supercalcatus, sanguine dentes
Commixtos, linguamque, atque intima viscera fudit.
Quid vero *Helciades?* certissima vincula, vincla
Ipse ferrens, & captivam prænuntiat urbem:
(e) Et migraturos *Babylonem*: deinde ibi ad annos
Septenos decies mansuros. Omnia prorsus
Eve-

(a) *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo, nunquid pèterit esse quod loqueris? Qui ait: videbis oculis tuis, & ipse non comedet.* 4. Reg. 7. v. 2.

(b) *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi... Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris.* Ibid. v. 6. & 7.

(c) *Factusque est modius similæ statere uno, & duo modii hordei statere uno juxta verbum Domini.* Ibid. v. 26.

(d) *Porro Rex ducem illum, in cujus manu incumbebat constituit ad portam; quem conculcavit turba in introitu portæ, & mortuus est juxta quod locutus fuerat vir Dei.* bid. v. 17.

(e) *Abducemini in Babyloniam captivi.* Bar. 6. v. 1. *Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos... ut reducam vos ad locum istum.* Ier. 29. v. 10.

Eveniunt sic. Quin populo adblandirier ausis
Falsidicis, tanquam rupes immota, resistit
(*a*)Vatibus. O *Hanania*, audi, moriere, neque istum
Præterlabentem lapsum jam videris annum
Tu, qui promissis populum mendacibus imples.
Nec secus evenit: Mors blanda, & falsa sonantem
Abstulerat, necdumque annus perfecerat orbem.
Majora his *Daniel*. Quæ turbida somnia Regi
E mente exciderant memorat: dein fata, vicesque
(*b*)Regnorum, Regi Statuæ sub imagine visa
Explicat. *Assyrio* capita aurea: pectora *Medis*,
Ac *Persis*, itidemque argentea brachia defert.
Assignat *Græcis*, ventrem, ac femora ærea; datque
Romanis crura e ferro durissima; at imos
Ad talos commista luto, pedibusque futura
Infirma: atque adeo, vicino e monte voluti
Impulsu lapidis, vastam tractura ruinam.
Quin videt Oceano fulvam, alatamque *Leænam*
(*c*)Surgere: deinde *Ursum*: rapido post impete *Pardum*,
Bis geminas alas, totidem capita alta ferentem:
Horribilemque magis, calcantemque omnia quartam
Postremamque feram: quæ quatuor ipsa notabant
Regna. Videt rursum exsultantem cornibus *Hircum*,
Soleque ab occiduo venientem: nec pede terram
(*d*)Tangere: namque *Aries* contra stans truxq; feroxq;
Vincereque, & solitus late dominarier arvis,
Hirco animos, & pugnandi incendebat amorem.
Con-

(a) *Audi Hanania ... tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Idcirco hæc dicit Dominus ... hoc anno morieris. Et mortuus est Hananias Propheta in anno illo mense septimo.* Ser. 28. v. 15. & seq.

(b) Daniel. 2. a v. 31.

[c] Dan. 7. a v. 3.

[d] *Ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram.* Dan. 8. v. 5.

Confligunt, ſtrepituque ingenti in cornua ſurgunt
Frontibus adverſis: trepidat nemus omne, ſiletque
Attonitum. Sed vero *Aries* non ſuſtinet *Hirci*
(a)Vim vegetam, retroque fugit, retroque recedit:
Ac tandem victus cadit, imperiumque relinquit.
(b)En tibi *Pellæum juvenem*, victumque *Darium*
Perſarum extremum, vatemque ætate priorem
Annis bis centum, *Cyro* hæc ſub Rege canentem.
   Sed quorſum feror? inſano conamine tentans
Auguſto immenſum perſtringere limite campum.
Huc refereor, totaq; lubens huc mente revolvor,
Qua digitum video cunctos intendere Vates
Præcipue, quo concordi clamore vocabant
Omnes ad Regem lapſo ſuccurrere Mundo
Venturum. Ventura canunt; tranſacta putabis
Tu canere, aut oculis quæ jam præſentia cernant:
Sic res anticipant, ſic ordine ſingula narrant,
Atque minutatim. *Davidis* ſanguine cretum
(c)Concinit hic, ſobolemque ſuam, ſanctumque nepotem
Deveneraus, vocat ipſe ſuum *Dominumque Deumque*
(d)Ceu matutinis tacitus cælo advenit imber,
Quam ſuper incumbit quin ſenſerit herba cadentem;
Haud aliter ſanctæ inſinuandum Matris in alvum,
Præcantant alii: atque oriturum in luminis auras
Virgineo partu. Cunas canit ille daturam
(e)*Bethlem:* toto alii Pacem tunc Orbe futuram,
Mulceat ut cunis Puerum: Regeſque *Sabæos*

Thura

---

[a] *Et percuſſit arietem ; & non poterat aries reſiſtere ei*. Ibid. v.7.
(b) *Aries . . . rex Medorum eſt, atque Perſarum. Porro hircus caprarum rex Græcorum eſt*. Ibid. v. 20. & 21.
[c] *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*. Pſ. 131. v. 11.
(d) *Deſcendet ſicut pluvia in vellus*. Pſ. 71. v. 5. *Ecce Virgo concipiet, & paries filium*. Iſa. 7. v. 14.
(e) Michææ 5. v. 2. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis*.

Thura recens nato, myrrhamque, aurumque ferentes.
(a)Ecce tuus (lætare Sion) Rex pauper, aselli
Terga premens, venietque tibi, optatamque salutem,
[b]Justitiamque orbe extorrem, profugamque reducet.
Cum veniet, cæcis oculos reserabit, & aures
Surdis: & salient claudi, mutique loquentur.
[c]Nummis triginta tamen est vendendus: & illum
Perfidus hoc pretio addicet, quem pascere, quicum
Partiri solitus panem. Nihil ille recuset,
Detrectetve pati. Quia perferet ille dolores
[d]Languoresque ultro nostros, neque mittere vocem,
Aut lamentari discet. Mactandus, ad aram
Sponte sua tendet; balatum non dabit *Agnus*.
(e)Quid sunt plagæ istæ, intimius, medioque tuarum
Quas video infixas manuum? Crudeliter eheu!
Confossus geminasque manus, geminosque pedes est!
[f]Ecce, & acetum ore sitientis, felque propinant!
(g)Nil superest illi sanum, atque a vertice ad ima
It venis cruor effusus, tumet undique vulnus!

Omnia

[a] *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem. Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Zach. 9. v. 9.

[b] *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt &c.* Is. 35. v. 5.

(c) *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Zach. 11 v. 12. *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos magnificavit super me supplantationem.* Ps. 40. v. 10.

(d) *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Oblatus est quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem, ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Isa. 53. v. 4. & 7.

[e] *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Zach. 13. v. 6. *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Ps. 21. v. 17.

(f) *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Ps. 68. v. 22.

[g] *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens.* Isa. 1. v. 6.

(a)Omnia distento facile numeraveris ossa!
Sed violare nefas ultra: neque crura, neque ullum
(b)Dein sibi comminui, frangive os siverit *Agnus*:
Nec dirimi in partes tunicam. Discindere vestes
[c]Fas alias; tunicam vero sors deferet uni.
[d]Ludificabuntur capite, & convicia dicent
Expiranti animam. At stupefactus crimine tanto
Contrahet interea radios Sol: culmine cæli
[e]Stans medio, mediaque die, circumteget atra
Nocte caput, luctu involvens terramque, polumque.
Ipsæ etiam nigra Stellæ ferrugine tinctæ
Lugebunt, lumenque suum dare Luna negabit,
Concussusque suo titubavit cardine Mundus.
Mox autem Mortis domitor, victorque, ferocem
(f)Conculcans victam pedibus, Morti inferet ipsi
Mortem: diripietque Erebi tenebrosa profunda:
[g]Heroumque animas diuturno ibi carcere vinctas
Eximet, ac secum revehet, secumque beabit,
(h)Ascendens nube exceptus, repetensque triumpho
Quæ

---

[a] *Dinumeraverunt omnia ossa mea*. Ps. 21. v. 18.

[b] *Nec os illius confringetis*. Exod. 12. v. 46. *Os ejus non confringent*. Num. 9. v. 12.

[c] *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Ps. 21. v. 8.

(d) *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis & moverunt caput*. Ps. 21. v. 8.

(e) *Et erit in die illa, dicit Dominus: occidet Sol in meridie*. Amos 8. v. 9. *Sol & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum... & movebuntur cæli, & terra*. Joel. 3. v. 15. & 16.

[f] *Ero mors tua o mors*. Oseæ 13. v. 14.

[g] *Eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit*. Ps. 106. v. 14.

(h) *Ponis nubem ascensum tuum*. Ps. 103. v. 3. *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio*. Ps. 23. v. 8.

Quæ sua bello etiam fecit cælestia regna.
Hæc procul, atque annis interdum mille priores
De *Christo* sancti cecinere oracula Vates.
Ipsemet testes primi, qui facta fuismet
Aspexere oculis hæc omnia, pingere nunquid
Vividius potuere, aliisve coloribus uti?
At Vates tendunt ultra, infandamque suorum
Perfidiam vexant: Serpentum hausere furorem,
[a]Consimilesque illis facti sunt: Aspidis instar
Obturant aures. Infida ah! perfida proles!
[b]Occident *Christum*! Sed proh! quas pendere pœnas
Cogentur! Deus abjiciet, neque diliget ultra
Ut quondam; Sed destituet, populumque negabit
Esse suum. *Italia* venient navesque ducesque;
Urbemque excident templumque, ac diruta flammis
In cineresque redacta dabunt ferri omnia ventis.
[c]Devastabuntur penitus, nunquamque coibunt
Rursus: per gentes omnes, totumque per orbem
Dispersi, errantes, pavidi excipientur ubique
Sibilo, eruntque illis comites Horrorque, Pavorque,
Obbrobriumque, odiumque, & semper passibus æquis
Qua demum se cunque ferent illi, ista sequentur.

Ob-

(a) *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas*. Ps. 57. v. 5. *Generatio enim perversa est, & infideles filii*. Deut. 32. v. 20.

[b] *Occidetur Christus, & non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*. Dan. 9. v. 26. *Et venient super eum trieres & Romani ... & eruent in gladio, & in flamma*. Dan. 11. v. 30. & 33.

(c) *Et post finem belli statuta desolatio*. Dan. 9. v. 26. *Ventilabo omnes seliqnias tuas in omne ventum*. Ezech. 5. v. 10. *Et eris opprobrium, & blasphemia exemplum, & stupor in gentibus*. Ibid. v. 15. & Ser. 19. v. 18.

[a]Obcæcabuntur, medioque in lumine, lumen
Ultro ipsi involvent, obscurabuntque tenebris.'
Atqui oracla manu hæc nobis contingere fas est.
Romani illi orbis domini periere, neque ultra
Usquam sunt: lapide exciso de monte, superba
Corruit, attrita & statua est; durantque, manentque
Hebræi extorres patria, totoque vagantur
Orbe, urbemque suam nusquam, aut sua mœnia cernunt,
Nec potuere una coalescere, figere sedes.
Secreta semper quadam formidine tristes,
Et viles habiti, ac ludibria quæque verentes,
Omnia tuta timent. *Hebræos* esse, pavori
Caussa est, atque odio: nullo impellente, suapte
Oderunt etiam pueri, trimæque puellæ
Irridentque, notantque manu. Intereaque libenter
Obdurant miseri, circumdati & undique luce,
Obnubunt oculos contra, lucique repugnant,
Et placide æternæ requiescunt mortis ad umbram.
(a)Sero illi lucem accipient, oculosque recludent,
Tum cum deficient jam cæli lumina, & orbis
Ibit in interitum, patefietque hactenus *Arca*
(b)Abdita. Sic scriptum est. En cur domitoribus orbis
Extinctis; reliqui tamen, innumerique supersunt
Hebræi, super usque & erunt ad funera Mundi.

Finis Partis Primæ.

(a) *Excæca cor populi hujus ... & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis*. Isa. 6. v. 10. Joa. 12. v. 39.

(b) *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc ... quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel salvus fieret*. Ad Rom. 11. v. 25. *velamen positum est super cor eorum*. Ad Gal. 3. v. 14. *Cum autem conversus fuerit ad Dominum auferetur velamen*. Ibid. v. 15.

(c) 2. Machab. 2. v. 7. & 8.

PARS SECUNDA

DEUS HOMO.

Fecit potentiam in brachio suo. Lucæ 1. v. 5.

CARMEN XXII.

QUando librabat terras, cælosque tetendit
Admiranda adeo mensura, pondereque usus
Omnipotens; jam majus opus tum mente fovebat
Arcana, fieri nemo quod posse putaret,
Non homo, non aliquis felicior incola cæli.
(*a*)Majus opus, cui majores impendere vires
Debebat, cui solicitus, tot sæcula retro
Jam proludebat, vel tum cum condidit orbem.
Scilicet humano vestiri corpore, & alvo
Virginis includi quem totus non capit orbis,
Et fieri Puer, atque Infans Deus ipse parabat.
[*b*]Ergone descendens cælo immutabile Nomen,
Mutabit vultus, pueri & puer induet artus,
Ut nos, mortales, fragilesque? Stupescite cæli.
Jam quater implerat millenos orbibus orbes
Sed, postquam nostri primi, infaustique Parentes
Humanam secum stirpem, & genus omne suorum
Nunquam lugenda satis involvere ruina.
(*c*) Femina caussa mali tanti, cantamine vafri
Serpentis, portentificoque implexa veneno,

Quan-

Dispensatio sacramenti absconditi a sæculis in Deo. Ad Eph. 3. v. 9.
(a) *Supereminens magnitudo virtutis ejus in nos*. Ad Eph. 1. v. 19.
(b) *Ergone credibile est, ut habitet Deus cum hominibus super terram?* 2. Paral. 6. v. 18.
(c) *Serpens Hevam seduxit astutia*. 2. ad Cor. 11. v. 3.

(*a*)Quando inconcessa decerpsit ab arbore pomum
Fœdifragum, obtrusitque etiam importuna Marito;
At Pater Omnipotens jamtum miseratus iniquam
Stragem (quandoquidem totum subverterat orbem
Fæmina) femineo ex utero, volventibus annis,
(*b*)Ultorem magnum promiserat, & fore Matrem,
Quæ serpentinos victrix contunderet astus,
Quæ pede contereret caput exitiale *Draconis*.
Nec semel hoc. Iterum, atque iterum promissio facta
Magna hæc *Thariadæ* Patri: de semine quondam
Illius tandem venturum in luminis auras,
(*c*)Qui commune malum, stirpique hærentia damna
Verteret in melius, genitivaque signa, luemque
Antiquam ablueret, qui sanctum redderet orbem
Jessiadæ hæc iterata eadem promissio Regi est
[*d*]Terque quaterque: thronum æternum, imperiumq. futurum
Venturi Regis, qui mirando ordine rerum
Jessiadæ Dominus, Rexque ipse, & filius esset.
Et jam tempus erat promissa exsolvere. Virgo
Ipsa futura Dei Genitrix, contempta, humlisque
Ipsa sibi, hæc reputans tum forte oracla; beatam
Dicebat, Matremque Dei, quæcumque futura
Esset, adorabat, trepidans, submissaque vultu:
Insciaque ipsa suos admirabatur honores.
Ecce autem insolita circum late omnia complens
Luce, immortalem spirans de vertice odorem,

Im-

(a) *Et tulit de fructu illius & comedit: deditque viro suo, qui comedit*. Gen. 3. v. 6.

(b) *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum*. Ib. v. 15.

(c) *In te benedicentur omnes cognationes terræ*. Gen. 12. v. 3. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Gen.22.v.18.

(d) *Thronus David erit stabilis coram Domino in sempiternum*. 3. Reg. 2. v. 45. *Ponam in sæculum sæculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cæli*. Ps. 88. v. 30.

Improvisus adest coram celer actus ab alto
(a)Angelus, e septem primis, septemque supremis,
Qui propius solio assistunt, solioque propinquant
Omnipotentis, & ille prior sic farier orsus:
Salve ingens cæli decus, ingens gloria gentis
Humanæ, in quam cælestis, divinaque cælo
Descendens, pleno cumulata est Gratia cornu.
Te Deus adlegit cunctis de Matribus unam
Inter quotquot erunt, quot sunt, quot & ante fuerunt,
Cui subolem daret ipse suam. Castissima sancto
(b)Dona geres utero, & paries, qui Filius idem
Excelsi Patris est, nomenque vocabis Jesum.
Ille Patris *David* sedem, imperiumque tenebit
Æternum, imperium magnum, sine fine futurum.
Audiit, & pavitans, penitusque exterrita Virgo:
(c)Qui fieri hæc? Virum ego nullum. Nec plura loquuta;
Conticuit. Roseo Alipotens hæc addidit ore:
(d)Exue, Diva, metus: sanctis te desuper auris
Spiritus afflabit, requiescet Spiritus in te
Sanctus & omnipotente implebit viscera fœtu.
Sancta manens, intacta manens, gravidabere Verbo,

(a) *Missus est Angelus Gabriel a Deo . . . ad Virginem desponsatam viro cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*. Luc. 1. a v. 26. ad 28.

(b) *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in Domo Jacob in aternum, & regni ejus non erit finis*. Ib. a v. 31. ad 33.

(c) *Dixit autem Maria ad Angelum: quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*. Ibid. v. 34.

(d) *Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei*. Ibid. v. 35.

Ingenitique Patris soboles, erit & tua proles.
Ne dubita: nam vera audis, en sanguine juncta,
Et cognata tibi *Elisabeth* jam mense laborat
Sexto, fertque utero puerum, nova pignora Matris;
Quamlibet infœcunda, etiamque effœta senili
Ætate. Usque adeo nil non facile Omnipotenti est.
His firmata animum Regina, humilisque etiamnum
(a)Ipsa sibi: Ecce ancilla, inquit, Domini: omnia fiant
Ut dixti. Dixit vixdum, simul annuit illa;
Totum sponte sua cælum inclinavit, ab altoque
Ad nos descendit Deus, æternique Parentis
Unica progenies, & inenarrabile Verbum.
Qui Patri æquævus, fuit ante exordia rerum,
Anteque quam ridens orbi lux prima niteret,
Quem maria, & terræ, cælique volubilis orbes
Auctorem agnoscunt, cui, quod sunt omnia debent,
Quique infinita majestate omnia complet;
Vult similis nostri fieri, & conjungere summis
Infima, & in nobis habitare, & filius esse
Feminæ: & humanam, carnemque, animamque cooptans
Ipse sibi, & pueri exiguos collectus in artus,
Virginea totum se inclusit, & abdidit alvo.
Primi exemplo hominis, statura, & viribus æquis
Vir fieri extemplo potuit: neque carcere cingi
Materno, ullius neque Matris filius esse.
Angustari utero tamen, ut nos, parvulus infans
Maluit. At nos sopiti, & quasi sensibus orbi
Tunc fuimus: neque tunc habiles sentire, neq. arcta
Fastidire uteri claustro, aut horrere tenebras.
Ille autem sensu vigil, excelsaque, Deoque
Digna vel jamtum mente, & ratione vigebat:

Hacte-

(a) *Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Ibid. v. 38.
Inclinavit cœlos, &c. descendit. Ps. 17. v. 10.

Hactenus & Vir erat jamtum: Infantemque, Virumque
(a) Femina (quod Vates cecinit) circumdedit alvo.
(b) O bene! Rorastis cæli jam, tuque tulisti
Virgineo tellus de germine Servatorem!
Exoptatus adest tot retro ætatibus ille
Humano Vindex Generi promissus, & Ultor.
(c) Sic nos dilexit Deus, ut parilem sibi prolem
Unigenam dederit, quo nil dare majus habebat.
(d) Qui tribus appendit digitis, & sustinet orbem,
Quas habet immensas vires huc contulit omnes,
Brachii & extenti huc congesta potentia tota est.
Conscia tu tanti mysterii, & æmula cæli
(e) Parva domus, semper jam deinde vocabere *Sancta*
Jure tuo. Totus te orbis, te *Vesper*, *&* *Ortus*,
Austerque, & *Boreas*, & te colet ultima tellus.
Litore ab extremo maris, ignoto procul orbe
Ex alio venient, properabuntque undique gentes
Portantes manibus vota, & donaria plenis.
(f) In terram vultu proni tua limina tangent.
Et pretiosa tibi cumulabunt munera Reges.
Cuncta cadent, & falce sua *Capitolia*, & urbes
Affliget: Mundi miracula proruet ætas
Omnia, relliquiasque etiam, cineresque vorabit

 In-

(a) *Creavit Deus novum super terram. Fœmina circumdabit virum*. Jer. 31. v. 22.

(b) *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*. If. 45. v. 8.

(c) *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret*. Jo. 3. v. 16.

(d) *Appendit tribus digitis molem terræ*. Isa. 40. v. 12.

(e) *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum*. Ps. 92. v. ult.
Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum. Tob. 13. v. 14.

(f) *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te*. Isa. 49. v. 2. 3.

Ingluvie; at te suscipiet, venerabitur unam
Te; nec mordaci violare, aut tangere dente
Audebit delens, consumensque omnia tempus.
Quin avulsa tuis, abreptaque fundamentis,
Aligerumque choris subtus tendentibus alas,
Pennatis innixa humeris, & nubila tranans,
Et mare velivolum, nimbosaque culmina, montes
Subtus despiciens, iterumque, iterumque per auras,
Perque iter insuetum, liquidumque per aera vecta,
Ad maris *Adriaci* occiduum, atque hoc nomine felix
Litus, frondosas *Piceni* ad litoris oras
Consistens; oculos cæcis, aurésque reduces
Surdis, & vita defuncta cadavera vitæ
Restitues, ac portentis impleveris orbem.
Facta renarrabunt quæ suspendentur ad aras,
Nequa dies memori portenta tot eximat ævo,
Artis *Apellea* memores, pictæque tabellæ.

PRINCEPS PACIS.

Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis. Psal. 71. v. 7.

CARMEN XXIII.

ET jam Luna suas novies pudibunda latebras
Intrarat, noviesque iterum se fulgida cælo
Extulerat, fratris totis tota obvia flammis;
Cum paritura venit quo oracula sancta vocabant
(a)In *Bethlem* Virgo. Ignorans hæc omnia *Cæsar*
Implebat, tuleratque edictum *Augustus*, ut orbis
Accen-

(a) *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in milibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis.* Mich. 5. v. 2. *Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbi.* Luc. 2. v. 1.

Accenſeretur. Compoſtus pace quierat
Totus in obſequium Pueri. Sopiverat arma,
Ne ſua, ne circum ſtreperent cunabula, jamque
(*a*)Pacis venturus Rex tranquillaverat orbem.
(*b*)Venerat & deſcribi una cum conjuge ſancta
In *Bethlem Joſeph*: ſiquidem de ſanguine *David*
Deque antiquorum Regum ſtirpe ortus uterque.
Pauperie tamen obſcuri, hoſpitioque recepti
(*c*)Nullo ſunt. Quin rejecti, paſſimque repulſi,
Ut mos pauperibus fieri: aſpernarier omnes.
Spelunca ima fuit ſilveſtribus horrida dumis,
Atque intus topho, & viridi multo obſita muſco.
Illuc Paſtores, cælo denſiſſimus imber
Cum ruit, accelerare gradum, abſcondique ſolebant,
Tutarique gregem ſera jam nocte bubulci,
Cum tandem feſſi repetebant tecta, caſaſque.
Atque erat hoſpitium hoc cælo, hæc cunabula Regi
Regum venturo. Quam ſunt contraria noſtris,
Quamque arcana Dei, quantumque impervia nobis
Conſilia! Umbriferas nox alta tetenderat alas,
Jamque fere cæli medium traſcenderat axem,
Alta, manu, indicens, facienſque ſilentia terris;
Cum carne indutus manifeſte apparuit Infans
Factus, qui *Verbum* Patris eſt, cum Regia Virgo,
(*d*)Virgo manens, nullo nixu, nullo ægra dolore,

(a) *Et erit iſte pax*. Mich. 5. *Non ſumet gens adverſus gentem gladium, & non diſcent ultra belligerare*. Mich. 4. v. 3.
(b) *Aſcendit autem & Joſeph a Galilea de civitate Nazaret in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eo quod eſſet de domo, & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante*. Luc. 2. v. 4. & 5.
(c) *In propria venit, & ſui eum non receperunt*. Jo. 1. v. 11. *Non erat eis locus in diverſorio*. Luc. 2. v. 7.
(d) *Porta hæc clauſa erit; non aperietur, & vir non tranſibit per eam: quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa*, Ezech. 44. v. 2.

Edidit Infantem divinum, Hominemque, Deumque:
Quam solet intemerata manens, illæsaque ubique,
Quin & pura magis fœtu, partuque futura,
De cælo allapsam transfundere limpida lucem
Cryſtallus. Vos nascenti, vos plaudite sancto
Aligeri Puero, Puerique applaudite Matri,
Ac puero, & Matri mecum vos dicite carmen.
Salve vera Dei soboles, & Virginis idem
Proles. Præcipue nunc admirabile nomen,
Consiliumque tuum, tuaque alta potentia nunc est,
(*a*)Cum vili in stabulo, tanquam puer ultimus orbis,
Nasceris ignotus: cum dat cunabula fœnum:
Cum vix sunt panni, & puerilia lintea Matri;
Nec satis ut non te crudelia frigora lædant:
Cum tacitæ e teneris lacrimæ labuntur ocellis:
Cum lac dulce trahens labris, & ab ubere pendens,
Languidulus dormis, vagisque tenellulus Infans.
Ut vult, nec possunt tam parvula brachia Matrem
Amplecti! Ut *Mater* conatus dicere; vixdum
Dimidiatam iterat vocem, balbutit & ore!
Ut gremio insurgit ridens, pedibusque tenellis
Insistens; Matri mille oscula dulcia figit!
Hæret in obtutu Matris Puer; illa modestos
Attollens oculos, oculis respondet amori.
Salve Auctor, salve Rex pacis: te veniente
Clauduntur belli portæ: dudum exsul ab orbe
Alma redit tandem quam formosissima vultu
(*b*)Pax: in vomerem, & in falcem conflabitur ensis
Barbarus: in stabulo cum *Pardo* accumbet eodem
Hædus,

(a) *Parvulus enim natus est nobis, filius datus est nobis, & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis.* Isa. 9. v. 6.

(b) *Et conflabunt gladios suos in vomeres, lanceas suas in falces* Isa. 2. v. 4.

(*a*)*Hædus*, cumque *Lupis* impune morabitur *Agnus*:
Et simul una ibunt, simul herbida pascua carpent
Innocui inter oves, interque armenta *Leones*.
(*b*)Horrida pestiferis habitata draconibus antra;
Et *Junci* & *Calami*, & *Nardi* beneolentis aristis
Frondescent: vulgo *Assyrium* prorumpet *Amomum*,
(*c*)De ruidis oleum saxis, & limpida mella
Distillata fluent, & lactea flumina current.
Salve sancta Parens, sola & tu Virgo, Parensque.
Ancillam te humilem, non plus, tu te ipsa vocabas?
Utere jam tandem, dulci utere nomine *Matris*.
Natura attonita, & confusa, alteque silente
Mater es: Auctorique tuo quam cœpit inire
Huic nostræ similem vitam Puero alma dedisti.
Exhausit sese Omnipotens, Altissimus in te.
Quique potest nutu pulchros mage cudere Soles
Millenos alios, melioraque sidera, & orbes;
Nec poterit deinceps, nec jam conabitur unquam
Majorem te, nec meliorem sistere Matrem.
Salve iterum Mater divina, puerpera Virgo.
(*d*)Tu *Rubus* ille ardens illæsus: tu quoque es illud
(*e*)*Vellus* rore madens, circum sitientibus agris;
Rursus & intactum medio agro vellus ab imbre.
[*f*]Tu Domini excelsus *Mons* es, qui vertice cælum

 Con-

(a) *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit: vitulus & leo, & ovis simul morabuntur . . . . Et leo sicut bos comedet paleas*. Isa. 11. v. 6. & 7.

(b) *In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror Calami, & Junci*. Isa. 35. v. 7.

(c) Et *erit in die illa: Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte*. Joel. 3. v. 18.

(d) Exod. 3. v. 3.

(e) Judic. 6 v. 37.

(f) *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*. Isa. 2. v. 2.

Contingens, prætergrederis toto ordine magnos
Te ſuper extollens, ſuperanſque cacumine montes.
[a]Tu Spes, tuque illa *Eliæ Nubecula* parva,
Quæ totum ſubito cælum circumtulit alvo.
(b)Tu de *Jeſſæa* radice es myſtica virga,
De qua prorupit tandem flos candidus ille,
(c)Quem ſuſpirantes, votis, lacrimiſque vocabant
Æterni colles, veteres, ſanctique Parentes.
(d) Tu Thalamus, de quo Dominus proceſſit, & inſtar
Sponſi, mortalem non dedignatus amictum;
Humanam æterno ſobolem ſibi fœdere junxit.
(e) Agnovit *Bos*, & rudis ipſe agnovit *Aſellus*
Numen: & officioſi procubuere, & anhelo
Ore, anima, algentem Puerum recreantque foventque,
Paſtores huc o celeres, pleniſque caniſtris
(Quandoquidem ridet, fert & nunc omnia tellus)
Ferte citi flores, & circumfundite florem
Mexiceum, florum regem, florum decus ingens:
Nam geſtat ſecum noſtræ argumenta ſalutis,
Tergeminos alto capitatos vertice clavos,
Cuſpide obarmatos imo, & ferrugine tinctos
Triſti. ſurgentem in medio arrectamque columnam
Marmoream: & quaſi vibratum, intortumque flagellum
Et ſpiſſe circumtextum, implexamque coronam:
Quinaque ſanguineis magnis extantia guttis
Vulnera. Flos equidem Puero gratiſſimus hic eſt.
Interea canta tua tu, *Cumæa Sybilla*,
Carmina, quæ rerum ignarus male carmina torſit
No-

(a) Reg. 18. v. 44.
(b) *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*. Iſa. 11. v. 1.
(c) *Deſiderium collium æternorum*. Geneſi 49. verſiculo 26.
(d) *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*. Pſ. 18. v. 5.
(e) *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*. Iſa. 1. v. 3.

Nescio quis; sed erat, memini, bonus ille Poeta:
„ *Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.*
„ *Jam nova progenies cælo descendit ab alto.*
„ *Te duce siqna manent sceleris vestigia nostri*
„ *Irrita, perpetua solvent formidine terras.*
„ *Occidet & serpens, & fallax herba veneni*
Occidet. Hæc rerum tantarum ignarus, & audax
Sacrilego rapuit furto, cantuque Poeta.
Tu Virgo, tu diva Parens, fera colla tumentem
Porro calcasti, contrivistique *draconem.*
Nec vero potuit *draco* teter, & improbus ille
Te morsu fœdare, tibive aspergere virus
Immane, & saniem horrendam, latebrosa venena,
Queis necdum natos mortales implicat omnes.
Dicite io! ingeminate & io! Male saucius *anguis*
Ad caput illisum pavitantes vix plicat orbes.
Ad mala, quæ nobis primæ hærent semina culpæ,
Tu Mater Virgo, tuus & dulcissimus Infans
Divina, & præsens estis medicina saluti.
Nobiscum Deus est, cæloque æterna Parentis
Bis genita, & nova progenies descendit ab alto.
Servati, & memores hoc nos ab cardine rerum
Venturos deinceps, nostrosque putabimus annos,
Et novus hinc oritur, sæclorum, & vertitur ordo.
[a]Aurea nunc ibit; subsidet decolor ætas.
Ignotoque etiam surget gens aurea mundo.

SU-

(a) *Benedicentur in ipso omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum.* Ps. 71. v. 17. *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu: & ipse dicet, Deus meus es tu.* Osé. 2. vers. ult.

SUPER OMNE NOMEN.

Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genuflectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.
Ad Philip. 2. v. 9. & 10.

CARMEN XXIV.

ERgone tam tenero, primos & luminis haustus
Orso vix Puero quærendum sanguine nomen?
Ne puer o! ne tu antecape, & ne præripe tempus.
Cum ter plus denis jam tres exegeris annos,
Explebis tua vota, tuoque cruore madebis:
Atque etiam extincto tibi jam, postremus ab imo
Diffluet, immiti ferro actus, pectore sanguis.
Hæc Puer hæc equidem jamnum suspirat, & ardet;
Sed mora longa nimis visa est, & ponere gestit
Dura rudimenta, optatæ præludia mortis.
Et qui nec prisco ritu, nec lege tenetur;
Sponte tamen subdit sese, legique severæ
Obsequitur. Nonne exemplo instaurare videtur
Ipse suo legem hanc nobis? Delere parabat.
(a)Delevit: sanctis & nos, pro sanguine tingi
Jussit aquis: & virtutem, vimque addidit undis;
Tergere manentem clam prima ab origine labem.
Quæ tulit ille tener dura Infans vulnera, cultros
Abstulit, amovit. Sed enim sibi parcere non vult;
Sanguine quæsitum sibi vult & nomen Jesu.
Nomen de cælo missum, quod nuntius Ales
[b]Ante etiam attulerat, divinus quam foret Infans
Vir-

(a) *Qua libertate Christus nos liberavit*. Ad Gal. 4. v. ult.
(b) *Quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero concipetetur*. Luc. 2. v. 21.

Virginea inclusus divinæ Matris in alvo.
Qui prisci Heroes cognomina tanta tulere,
Mystica [magnus honor!] fuerant proludia Dii
Quondam venturi Infantis, qui munera solus
Tam magni, ac prorsus divini nominis implet:
(a)Nam solus Puer hic salvos nos fecit Jesus.
Nec fuit in Puero hoc vacuum, aut umbratile nomen.
Tu, Puer, Æterna Æterni es *Sapientia* Patris,
(b)*Splendorque*, ac *Virtus*, prorsusque simillima *Imago*.
(c)Tu *Primogenitus* rerum: te propter eundem
Eruta de nihilo sunt quæ sunt cumque creata.
(d)Nativo imperio tu es *Rex*, & *Legifer* orbis:
(e) Tu *Via*, tu *Veri exemplar*, tu *Vita* perennis:
(f)Tuque tenebrosi *Lux* es purissima Mundi.
(g)Tu *Pastor bonus* es; tu idem mitissimus *Agnus*,
Hostiaque, aversum nostra ob commissa Parentem
Concilians, & mansuram per sæcula pacem,
(h)*Sanctus Sanctorum* quoque tu, æternusque *Sacerdos*.
(i)Tu quoque es *Emmanuel*, & *Adonai*: nomina magna,
Quæ semel accumulat, simul aggerat omnia nomen
Divinum, Jesus. Nil nomine dulcius hoc est.
Dulce magis quam stipat apis quæ florea mella:
Quam matutinus ros est sentientibus herbis:

Quam

(a) *Ipse enim salvum faciet populum suum*. Matth. 1. v. 21.
(b) *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ*. Ad Hebr. 1. v. 3.
(c) *Primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa in cælis, & in terra, visibilia, & invisibilia .... omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Ad Coloss. 1. v. 15. & 16.
(d) *Dominus legifer noster, Dominus Rex noster*. Isa.33. v.22.
(e) Joan. 14. v. 6.
(f) Joan. 8. v. 12.
(g) Joan. 10. v. 11. & Joan. 1. v. 29.
(h) Dan. 9. v. 24. & Ps. 109. v. 4.
(i) Isa. 7. v. 14. & Exod. 6. v. 3.

Quam ſopor aſſiduo feſſis, duroque labore:
Quam lux ſeſe oculis captum flenti indita rurſus:
Quam litus, mediis qui jactabatur in undis
Naufragus, & jamjam languebant brachia, vires.
Quamque eſt improviſa ſalus, cum funera gnato,
Unigenæque ſuo Mater jam mœſta parabat.
Qui cæli convexa tenent, qui ſidera calcant,
Qui terras, quacumque ſuos Sol igneus orbes,
Exoriens, morienſque iterat, qui Sole carentes,
Informeſque domos habitant, immitia regna
De genu adorabunt ſubmiſſi hoc, quod ſuper omne
(*a*)Scilicet eſt nomen, divinum nomen Jeſu.
(*b*) Deſuper effuſum eſt oleum, ac mortalibus ægris
Una illud lucem fert almam, fertque medelam.
(*c*)Ad templi portam *Speciosam* nomine dictam
Æger homo, utroque & pede inutilis, inque ligatus
Materno ex utero, triſtem, afflictamque trahebat
Vitam. Conſpexit *Petrum*, intrantemque ſodalem;
(*d*)Ac de more ſtipem miſeram, victumque rogabat.
Aurum, atq. argentum mihi nullum eſt, quæ dare poſſin
(*e*)Hæc tibi do, dixit *Petrus*, atque in nomine Jeſu
Surgere confeſtim, pedibuſque incedere juſſit.

Et

(a) *Super omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo; ſed etiam in futuro.* Ad Eph. 1. v. 21.

(b) *Oleum effuſum nomen tuum.* Cant. 1. v. 2.

(c) *Quidam vir, qui erat claudus ex utero matris ſuæ bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur Specioſa.* Act. 3. v. 2.

(d) *Is cum vidiſſet Petrum, & Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemoſynam acciperet.* Ibid. v. 3.

(e) *Petrus autem dixit: Argentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.*

(a)Et nihil addubitans urget, dextraque prehensum
Arrigit. Extemplo Ille miser fundamina sensit
Firma pedum, solidasque bases: jam se regit ipse
Arduus: huc, illuc sese versatque, movetqne,
Insultatque solo, ut vult, lætitiaque triumphans
Exsilit, & cursu potis est pervertere ventos.
Nomen ad hoc illa insana, atque infanda deorum
Colluvies, dominata olim imperiosa per orbem
(b)Corruet, atque avulsa suis de sedibus, aris
Subversis, totoque vicissim extorris ab orbe
Nusquam comparet. Traduntur inertia flammis
Idola, in cineresque abeunt ludibria ventis.
Fatidici celebrata adeo spiracula *Ditis*
Delphica muta silent, neque jam ructare vapores
Audent insanos: *Libycis* neque syrtibus *Hammon*
Corniger, aut quercus, *Dodonaave Columba*.
Aut usquam stygiæ pestes, Manesque profundi,
Hiscere deinde audet, æterna silentia servant.
Hæc monstra, has furias vinxit, contrivit Jesus.
Terribile hoc illis vel solo nomine Nomen;
(c)Nobis deliciæ, mel, nectar, vita, salusque.

Rex

(a) *Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, Et protinus consolidatæ sunt bases ejus, & plantæ. Et exiliens stetit, & ambulabat.* Ibid. a v. 6. ad 8.

(b) *Et erit in die illa dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur ultra, & pseudoprophetas, & spiritum immundum, auferam de terra.* Zahc. 13. v. 2.

(c) *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Joel. 2. v. 32. & ad Rom. 10. v. 13.

REX GENTIUM.

Reges Arabum, & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ: omnes gentes servient ei.
Ps. 71. v. 10. & 11.

CARMEN XXV.

QUæ lux! Quæ tenebræ! Prisco verso ordine rerum,
Mortis, & umbrarum in regione inopina refulsit
Lux; ubi regnabat, lux insidiosa repente
Nox *Erebo* ex imo quas funderet extudit umbras.
Stella peregrina officiosa renidet *Eois*
Regibus, ac dulci, & vocali lumine, natum
Quem Gentes dudum exspectabant, nuntiat orbi.
(*a*)*Hebræi* contra, quibus hæc & stella micabat
Pridem, promissus quibus & de Virgine Matre
(*b*)Filius; hunc nollent venisse, diemque perosi,
Avertunt oculos retro, seseque volentes
(*c*)Obcæcant miseri, propria & sua dona recusant.
Sceptrum de *Juda* exierat, prorsusque perempta
Spe reditus, manus ignota, atque aliena regebat
Sceptrumq. imperiumq. Atqui omnino hoc fore tempus,
(*d*)Quo Rex promissus, quo Rex venturus adesset,
Carmine, & Oraclo insigni morientis *Jacob*

Præ-

Habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. Isa. 9. v. 2. *Lux obtenebrata est.* Isa. 5. v. ult.

(a) *Orietur stella ex Jacob.* Num. 24. 17. *Vide Bened. XIV. in festo Epiphan.*

(b) *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Isa. 7. v. 14.

(c) *Incrassatum est enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos suos compresserunt, ne forte videant.* Act. 28. v. 27.

(d) *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est.* Gen. 49. v. 10.

Præmoniti, parvi pueri, & vix farier orsi,
Perque vias passim, per compitaque ore canebant.
Præterea arcanas jamtum *Danielis* abisse
(a)Hebdomades, componendo hæc Oracula primis;
Exacta annorum series, resque ipsa docebant.
Et tamen hunc adeo optandum, optatumque repente
Destituunt, coramque adstantem agnoscere Regem
Nolunt, spesque suas jugulant, ultroque recidunt,
Scilicet hæc soboles illa est, quæ perfida posthæc
Sacrilegam intendet vocem, & clamore nefando,
Nolumus hunc, dicent illi, *regnare super nos*.
Heu pietas! heu prisca fides, priscique Parentes!
[b]Quam vos degeneres nacti, infidosque nepotes!
Sideris interea ductu, & radiantis Olympi
Tergemini *Solymam* Reges venere. Necesse
Hoc erat, *Hebræis* nequa excusatio, nequis
Perfidiæ infandæ color, obtentusve maneret.
Percunctabantur: quænam cunabula nuper
Natum excepissent Regem? Titubatio nulla.
(c)In *Bethlem* nasci omnino debere, fatentur,
Testanturque uno ore omnes: meminereque Vatis,
Qui tam magnificos *Bethlem* assignabat honores.
Audit, & varia confusus imagine rerum
Herodes (quo non *Libycis* immanius antris
Prorupit monstrum) furit; & quæ, fraudibus, astu,
Et laniena etiam infanda, male parta tenebat
Sceptra, sibi e manibus labi, ad Puerumque reverti
Angitur, & cura infelix tabescit inani.
Ah miser! haud equidem venit, ut mortalia demat
Regna; sed ut nobis Puer hic cælestia donet.
Non aufert; dat regna Puer. Jam pelle timorem:

Rex

(a) Dan. 9.
(b) *Generatio enim perversa est, infideles filii*. Deut.32. v.20.
(c) *At illi dixerunt ei in Bethleem Judæ*. Matth. 2. v. 5.

(a)Rex est pacificus: quam Regum tollere nemo,
Quam Regum dare nemo potest, fert munera pacis.
Ista illi sordent, possunt quæ crimine haberi,
Quæ tumet multo invasisti crimine regna.
Sed quid ago? Nullo possunt medicamine tolli.
Quæ super adventu Regum, Regisque supremi
Arcana *Herodem* curæque, iræque coquebant.
Dissimulat tamen, ac frontem, vultumque serenat.
Ac veluti ambiguos *Serpens* dans corpore tortus,
Obliquat sese contra quam fronte minatur;
Aut veluti humanam fingit vocem *Crocodilus*,
(b)Fingit, adorare Infantem, Numenque precari
Se quoque velle: instat multis, comperta doceri
De Puero: quæ vidissent sibi cuncta referri
(c)Mandabat. *Bethlem* Reges contendere pergunt.
Stella quidem *Solymis*, quæ dedignata rebelles
Hebræos, vultum indignata averterat, effert
Splendida sese iterum Cælo, lucemque coruscam
Exhibet, anteparatque viam, & præcedit euntes.
Ad stabulum donec veniens, quasi diceret: Ecce,
In stabulo hoc humili, hic est divinissimus Infans,
Grandius expandens jubar, instauransque nitorem.
Constitit, atque suo jam munere functa quievit.
Tum vero unanimi plausu, & fremitu æthera complens
Consurgit clamor: standi dant cornua cantu
Signum: respondent alte barritu *Elephanti*,

Hin-

(a) *Rex Salem, quod est Rex pacis*. Ad Hebr. 7. v. 2. *Pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat ego do vobis*. Joan. 14. v. 27.

(b) *Et mittens illos in Bethleem dixit: Ite, & interrogate diligenter de Puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut ego veniens adorem eum*. Matth. 2. v. 8.

(c) *Qui cum audissent Regem abierunt. Et ecce stella, quam viderant in oriente antecedebat eos, usque dum veniens staret supra, ubi erat Puer*. Ibid. v. 9.

Hinnitu alipedes, & pectora, collaque in orbem
Circumvolventes, fræna spumantia mandunt.
(a)Nec mora prosternunt se, prosternuntque coronas
Reges ante pedes Pueri, tum forte sedentis
In gremio, & gemina impliciti inter brachia Matris
Virginis: & neque tam agrestis fastigia tecti
Mirantur, nec res inopes: hæc omnia Vates
Præcinuisse sciunt olim, & placuisse beatam
Pauperiem Regi. Dein mystica munera porgunt
Quisque suum: myrrha mortem, & crudelia quæque
Ultro amplexurum agnoscunt: rursusque *Sabæo*
Thure Deum: Regemque auro, obsequioque fatentur.
(b) Plaudite quas oriens, & quas afflavit anhelis
Sol moriturus equis, una omnes plaudite gentes.
Vos designabant, pro vobis dona ferebant
Illi *Arabum* Reges: expressa in imagine jamtum
Vos hominem, Regem, atque Deum coluistis Jesum
Nascentem. Vos tum stella, vos lumine sancto,
Vos, cum vagitus primos dabat ille, vocabat.
Ignotus vobis olim Deus, ecce videndum
Exhibuit sese, & manifesto in lumine totus
(c)Est coram. Lux nunc estis; tenebræque fuistis.

---

[a] *Et intrantes domum invenerunt Puerum cum Maria Matre ejus, & procidentes adoraverunt eum: Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera aurum, thus, & myrram.* Ibid. v. 11. *Dabitur ei de auro Arabiæ.* Ps. 71. v. 15.

(b) *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.* Ps. 46. v. 1.

(c) *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Ad Ephes. 5. v. 8.

SIGNUM CUI CONTRADICETUR.

Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur.
Lucæ 2. v. 34.

CARMEN XXVI.

AD templum, læva geſtans, ad pectora preſſum
Dulce onus infantem Puerum, dextraque gemellas
Lacteolaſque ferens, Matrum de more columbas
Pauperiorum, it Virgo Parens, ſine labe pudoris
Enixa, atque adeo non illi obnoxia legi.
It tamen, & quamvis communi lege ſoluti
(*a*)Et Puer, & Mater; legi ultro paret uterque,
Ut Puero eſt Mater, Matrique ſimillima proles.
Intranti occurrit cano venerabilis ævo,
Et pietate ſenex: quem Sanctus deſuper aura
Spiritus allabens, pulchris impleverat olim
(*b*)Promiſſis: non ante, diem, non lumina morte
Clauſurum, quam vidiſſet, quem ſæcula retro
Quem ſuſpirabant tot priſca oracula Vatum.
Ergo ubi adeſſe Deum, propioraque numina ſenſit;
Irruit impatiens, Puerumque trementibus ulnis
Exceptum ſtringens arcte, amplexanſque ſubinde,
Et largo fletu ora rigans, incanaque menta,
Vaticinanſque, ut erat divino percitus œſtro:
Ægre has, multa inter rupit ſuſpiria, voces;
Ergone

(a) *Tulerunt illum in Jeruſalem, ut ſiſterent eum Domino.... Et ut darent hoſtiam.. par turturum, aut duos pullos columbarum.* Luc. 2. v. 22. & 24.

(b) *Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.* Ib. a v. 29. ad 32.

Ergone jam tandem venisti, oculisque meismet
Vidi ego te, expectata diu lux alma, salusque
Orbis, & *Isacidum* immortalis gloria gentis?
Hac ego defessam ætatem, tristemque senectam,
Hac sustentabam spe longæ tædia vitæ.
Magnifice implesti tua tu promissa beata
(a)Summe Pater: nunc dimitte, & me corporis hujus
(Quando aliud nihil est, quod sperem ultra) exue vinclis.
Et quam te memorem, Virgo, quæ sola salutem
Tam suspiratam peperisti sospita terris!
Ecce hic in vitam, in mortemq. etiam, inque ruinam
Multorum Puer est positus, positus quasi signum
In jaculum: ferroque huc, huc armata veneno
Spicula torquebunt. Contradicetur inique.
Tu quoque magna Parens, cladis pars magna futura es.
Tempus erit, tibi cum crudelis ad intima adactus
Viscera, dilaniet, præcordiaque hauriat ensis.
Et fuit hæc postrema senis, postremaque cygni
(b)Vox; ac demittens quasi concedentia somno
Lumina; mox placida, optataque ibi morte quievit.
Nec mora: facta fides jamtum dictisque, minisque.
Incassum opperiens Reges, ubi sensit ab illis
(c)Delusum sese *Herodes*; quos mente furores
Hactenus arcanos obduxerat, impius omnes
Effudit. Sicut stridens, tumidusque repente,
Seque ipso major, mille undique, & undique tela
Apparat, & furiis accensus concutit *Histrix*.
Aut tanquam latitans herboso gramine tectus
Propter aquam; tandem calcatus, & improbus ira

(a) *Et dixit ad Mariam Matrem ejus: Ecce hic &c. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*. Ibid. v. 35.
(b) *Ita Menolog. Græcorum. Vide Benedict. XIV. in festo Purificat.*
(c) *Tunc Herodes videns quoniam illusus est a Magis iratus est valde*. Matth. 2. v. 6.

Sibilat, & caput, & furialia pectora *Serpens*
Arduus in cælum attollens, late omnia tabo
Inficit exitiali, omnesque interficit herbas,
Et calice exortos flores vix, enecat omnes.
(*e*)Horrendum! Pueros annis retro inde duobus
In *Betblem*, pagisque etiam, villisque propinquis
Natos transadigi, ferroque absumier omnes
Jussit, inundarique insontum sanguine cunas.
(*f*)Vox in *Rama* audita est, lamentatioque ingens
Rachel. Amissos primo ipso in limine vitæ
Perpetuum luget fœtus: & ab ubere raptos
Anxia conquirens frustra, solatia nulla
Audit, & immoritur luctu: quia nullibi jam sunt.
Barbare, crudelis, multoque immanior hydris,
Aspidibusque soporiferis, surdisque, & Hyæna
Sanguinolentior, & Crocodilo. Tantulane ætas,
Quæ Pœnos etiam potuit lenire Leones;
Visa tibi rapta suo involvi, mergique cruore?
Impie mentis ubi es? Cælone indicere bellum
Audes? Cui cælum famulatur, sidera subsunt;
Huic tu sperasti immaturam arcessere mortem
Nolenti? Incassum furis. Hunc tu perdere ferro
Unum non poteris, quem demens, quem petis unum
Excidio tanto, Deus est, & cum volet ille,
Cumque ab Divino sibi credita munera Patre
(*d*)Impleverit, surdisque aures, & lumina cæcis
(*d*)Indiderit, tumulisque vocata cadavera, magno
Im-

(a) *Et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & omnibus finibus ejus a bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis* Ibid.
(b) *Vox in Rama audita est, ploratus, & ululatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.* Ibid. v. 18. & Jer. 31. v. 15.
(c) *Aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Is. 35. v. 5.
(d) *In resurrectionem multorum*. Luc. 2. v. 34.

Imperio superas iterum revocarit ad auras,
(a)Intuleritque novam lucem, nova fœdera mundo;
Tum demum, nam mortales ideo induit artus,
Tum jam sponte sua, omnes nos, veterumque Parentum
Antiqua labem largo lavet amne cruoris.
Nunc autem, morti, quantumlibet omnia vertas,
Quamvis millenos contra illum strinxeris enses;
Necdum maturus, necdum est obnoxius Infans.
At te jam viventem etiam sibi pabula vermes
Obscœni addicent: ignisque introrsus obortus
Viscera consumet, tundens: animamque ferinam
Efflabis, fontes novus horror iturus ad umbras.
Interea fuge chare Puer, fuge Regia Virgo,
Inque sinu abscondens Puerum pluviæ inscia regna,
(b)*Hermopolimque* pete. Hoc demissus ab æthere pennis
(c)Nuntius admonuit *Joseph*, cui munia Patris
Ipse gerenda dedit Pater, adlegitque futurum
Exsilio comitemque viæ, comitemque laboris.
I gemebunda Parens, i Virgo, assuesce dolori
Jam nunc, & gladio: nam te graviora manebunt
Vulnera. Quæ nunc orta cito subsidet, & ultro
(d)Ponet tempestas: ex *Ægyptoque* vocatum
Infantem (utrumque hoc oracula sancta canebant)
(e)Excipiet reducem *Galilæa*, & *Nazara* tellus.
Post ubi jam pueri firmata adoleverit ætas,
Et bis jam senos dulces tecum egerit annos;
Rursus inundabunt lacrimæ, & nova vulnera libans
Tentabit rursus tua tum præcordia mucro.
Nam *Solymis* reditura domum, atque emensa diei

(a) *Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium*. Isa. 42. v. 6.
(b) *Vide Calmet* Lib. 7. Hist. Vet. & Nov. Testam.
(c) *Accipe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum*. Matth: 2. v. 13.
(d) *Ex Ægypto vocavi filium meum*. Ibid. v. 15.
(e) *Quoniam Nazareus vocabitur*. Ibid. v. ult.

Totum iter; ereptum ignaræ, amissumque dolore
Ingenti agnosces Puerum: & vestigia retro
Observata legens, scitaberis anxia: nunquid
Inter cognatos comes additus iverit ille?
Anne labore viæ fessus, fortasse resedit?
Sicubine abductus variarum errore viarum?
Jamque dies, alterque dies, claudentur, & alter,
Et totidem insomnes inter suspiria noctes;
[a]Cum tandem in templo, attonita auscultante corona
Doctorum, invenies, priscorum oracula Vatum
Percunctantem ultro, atque ignaros inde docentem,
Melligenisque alta irrumpentem in pectora dictis.
O ut tum, Mater, tibi jam, & qui munia *Joseph*
Patris agit, conversi aberunt in gaudia luctus!
At majora manent te vulnera, & altius ensis
Viscera transfodiget: capulo tenus abditus olim
Hærebit totus. Neque tum cum conjuge sancto
Fas, ut nunc, curam, aut partiri, Virgo dolorem.
Vera nimis, gravius senis in te dicta recurrent.

SUBDITUS ILLIS.

Et erat subditus illis. Lucæ 2. v. 51.

CARMEN XXVII.

EN quid agam? Attonitus, præstetne silere, loquine?
Hæreo. Triginta annorum, quos egit Jesus
Carne Deus nostra indutus (mirabile dictu!)
Hi sunt annales, duo verba hæc: *Subditus illis*.
Abditus ille domi, conclusus paupere tecto,

Obse-

(a) *Et factum est post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus*. Ibid. v. 46. & 47.

Obsequio (dicamne hoc?) servitioque Parentum
Intentus, neque præterea dum cognitus ulli;
(*a*)Filius esse humilis fabri, ac de millibus unus
Esse putabatur, manibusque perinde laborem
Ipse exercebat, quasi fabri filius esset,
Curvabatque humeros lignis, & ligna dolabat.
Nec putat indignum hoc manibus, quibus omnia jamtum
(*b*)Omnipotens dederat Pater, & fabrilia pensa
(*c*)Scilicet ille subit, per quem sunt omnia facta.
Usque adeo obscurus Deus, ignotusque latebat!
Qualis *Erythrea*, qualis *Garamantidos* undæ
Egregium decus, obscura latet abdita concha
Gemma, futura & honos olim, Regumque corona,
Et tamen illa jacet, meritos neque poscit honores.
Aut veluti assurgens pater *Apenninus* ad auras,
Quantumvis toto miscet se vertice cælo;
Nube peregrina, atque alio vestitus amictu
Quantus erat fugit ex oculis: mera nubila censet
Aspicere ignarus rerum procul usque viator.
Quorsum me stupor abripuit? Vilissima quæque
Ad rem infinitam frustra hæc componere tento.
Ipsum ipsi (hoc unum fas est) componere pergo.
(*d*) Præsepe excepit natum; miserabilis infans
Esse videbatur, pauper, rerum omnium egenus;
Sed tamen esse Deum testantur, & æthera cantu
(*e*)Cælicolæ complent, miscentque, agitantque choreas:

(a) *Nonne hic est fabri filius?* Matth. 13. v. 55.
(b) *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*. Joan. 13. v. 3.
(c) *Omnia per ipsum facta sunt*. Joan. 1. v. 3. *Quem constituit haredem universorum, per quem fecit & sæcula*. Ad Herbr. 1. v. 2.
(d) *Reclinavit eum in præsepio*. Luc. 2. v. 7.
(e) *Facta est cum Angelo multido militiæ cælestis laudantium Deum*. Ibid. v. 13.

[a]Pastoresque vocant parvi ad cunabula nati:
Et nova prorumpens, nova fundens sidera cælum;
(b)Evocat, & stella ab regnis adducit *Eois*
Ternos tergemina allaturos munera Reges.
(c)Vel tum, cum tanquam reus, & sceleratus, & inter
Latrones geminos hinc inde, manusque pedesque
Confossus, mortem infamem amplectetur Jesus;
(d)Cum moriente, volet quoque Sol comes ire, morique:
Et gemitum dabit immensum, & vix non ruet orbis:
Exspirare, morique Deum vel saxa loquentur.
Nunc autem nusquam apparet Deus. Undique totus
Delituit, specie obscura, obscurisque latebris
Abditus. Humanis nulla hic admixta refulgent
Prodigia. Indicio nullo Deus eminet. Unum hoc
Eminet, hoc unum præsefert: *Subditus illis*.
(e) Rex erat, & Regum supremus, & arbiter orbis.
At nusquam Regum pompa illi, insignia nulla.
Non sceptrum, aut diadema gerit: non alta superbo
Marmore, non ostro constrata palatia surgunt.
Non illum crebræ excubiæ, densæque phalanges
Circumstant, aut armata statione coronant.
Quocumque aspicias, credas de millibus unum;
Non plus: ligna dolat: Matri officiosus obedit,
Ac *Joseph*: totusque apparet *Subditus illis*.

Lux

---

[a] *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque ad Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est, quod Dominus ostendit nobis*. Ibid. v. 15.

(b) *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui*. Isa. 60. v. 3.

(c) *Cum sceleratis reputatus est* Isa. 53. v. ult.

(d) *Et erit in illa die, dicit Dominus; occidet Sol in meridie*. Amos 8. v. o.

(e) *Habet in vestimento, & in femore suo scriptum; Rex Regum, & dominus Dominantium*. Apoc. 19. v. 16.

(a) Lux erat, & tenebras veniebat pellere mundo,
Et monstrare viam, divinum & spargere lumen:
Et narrare palam, & divina arcana docere
Abdita Philosophis, priscisque incognita sæclis.
Et quondam Puer hæc fecit, munusque Magistri
Egit, Doctorum toto admirante senatu.
At nunc abscondit radios, lucemque coercet
Intus, & immensum splendorem obnubit, obumbrat,
Perque annos bene ter denos, auditque, siletque,
Atque oculis hominum nihil est nisi *Subditus illis.*
Audisne? Hæc quoque habent divina silentia vocem,
[b]Esse humilem corde, ac mitem (quod nemo profecto
Philosophus) tunc exemplo; dein voce docebat.
(c)Esse Deo similes (proh quanta superbia, quamque
Insana!) humani generis voluere Parentes
Primi. Ex illo eadem vesana superbia fudit
Sese, ac famosa, & tumida caligine circum
Mortales cinxit. Tristissima origo malorum
(d)Hæc erat. Huic Jesus exemplo, ac voce mederi;
Sed prius exemplo vult, exemploque Magistrum
Se dat inauditæ, neque dum dictæ hactenus ulli
Doctrinæ: voluitque Deus despectus haberi
Passim, & censeri quasi fabri filius esset.
Primus homo, oblitus se hominem, Deus esse volebat.
At Deus humana specie se, & corpore totum
[e]Abscondit: nec se esse Deum meminisse videtur.
Hæc tulit ille illi primæ medicamina culpæ
Di-

(a) *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. v. 9.
(b) *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.* Matt. 11. v. 29.
(c) *Eritis sicut dii.* Gen. 3. v. 5.
(d) *Initium omnis peccati est superbia.* Eccl. 10. v. 15. *In ipsa, initium sumpsit omnis perditio.* Tob. 4. v. 14.
(e) *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* Ad Philip. 2. v. 7.

Digna Deo. Nulla est prorsus medicabilis arte,
Sicui non tulerit tanta hæc medicina salutem.
Tu quis es, aut quorsum te effers, quorsumve superbis?
Ecce homo, & ecce Deus submissus, *Subditus illis*.

LUX MUNDI.

Ego sum Lux Mundi. Joan. 8. v. 12.

CARMEN XXVIII.

IGnotus dudum; tandem *Jordanis* ad undas
Ostendit sese. Sed adhuc caligine luci
Permixta, vult lustrari, vult flumine tingi:
Et jam se ostendens, etiamnum sed abdit Jesus:
Necdum, queis latuit totas bene dispulit umbras.
Non secus ac cæli cum primi albescere tractus
Incipiunt, surgit sensim, nec tota repente
Lux oritur: nec tantum oculi præferre nitorem
Assueti tenebris possent. Affinia nocti
Obscurum quid habent creperæ primordia lucis.
At cælum interea, ac de cælo audita sonora
Vox, confessa Deum, tandem claravit Jesum,
Quæque illi supra caput adstitit [almus ab alto
(b)Spiritus hac specie veniens] delapsa columba.
Atque Deum Trinum, tum demum innotuit esse:
De cælo auditi primum Genitusque, Paterque.
Tantam lux oriens Jesus lucem attulit orbi.
Sensit *Jordanes* sua munera, nec capit ultra
Jam se, nec ripis, nec jam se continet alveo

Spu-

(a) *Venit Jesus in Galilæa in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur ab eo*. Matth. 3. v. 13.
(b) *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum*. Luc. 3. v. 22. *Et ecce vox de cælis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Matth. 3. v. ult.

Spumeus. Attollens viridi oblita cornua muſco
Fervet, & arrectis, iterumque cadentibus undis,
Exultatque vadis, aſſentaturque, favetque.
Quos ſibi laudari audierat jam ſpernit *Araxem*,
Et decantatum perplexa ab origine *Nilum*:
Spernit & *Euphratem*, & *Tigrim*, faſtuque tumentem
[a]*Eridanum*, quamvis auſum ſe tollere cælo,
Quamvis fluviorum Regem ſe dicere ſuetum.
Senſerat exortam lucem, qui regna profunda
Torquet, & imperium tenebrarum, animaſque nefandas:
Prorumpenſque nigris, & noctipotentibus antris;
Extulit infandum caput in cælumque, Deumque.
Longa, procul monte abducto, noctesque dieſque
Orando aſſiduus, tulerat jejunia Jeſus.
[b]Et ſentire famem voluit, voluitque docere
Nos, exemplo, hoſtem antiquum, immanemque domare.
Adſtitit hic, lapidemque manu protendit, &: eja
Si Deus es [dubitabat enim] dic ut lapis iſte
Sit jamnum panis. Scriptum eſt, ſubjunxit Jeſus,
[c]Suſtentari hominem ſancto, quod manat ab ore
Divino, verbo; neque ſolo vivere pane.
Fractus erat; neque deſiſtit tamen improbus hoſtis.
Abreptum, excelſo templi ſummoque locavit
Vertice: & hinc inquit, pronum te mitte deorſum:
Quandoquidem cæli Aligeris Deus ipſe jubebit,
Ut ſcriptum eſt, te ſuſtineant, ne forte cruentes,
Offendaſve pedem ad lapidem. Sic ille maligne
Scripturas auſus primus corrumpere. Jeſus

Erro-

(a) *Eridanus una e conſtellationibus, ut ajunt, cæleſtibus in parte Auſtrali.*

(b) *Cum jejunaſſet quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.* Matth. 4. v. 2. *Tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Ad Hebr. 4. v. 15.

(c) *Scriptum eſt, non in ſolo pane vivit homo, ſed in omne verbo, quod procedit de ore* Dei Matt. 4. v. 4.

Errorem emendans: Dominum tentare nefas est,
(*a*)Inquit: & hoc etiam scriptum est. Sed perstitit audax
Insidiator: & ad Montis fastigia raptum
Momento; ostendens illi regna omnia Mundi:
Hæc tibi cuncta, inquit, dabo mox; si pronus adoras
[*b*]Me. Jesus vero: I retro, longeque recede
Perfide. Qui Deus est unus, Dominusque supremus
Solus adorandus. Tum vero exterritus hostis:
Et caudam pavitantem utero, inter crura, pedesque
Committens; caput obnubit, penitusque profundis,
Multa gemens ignominiam, sese abdidit umbris.
[*c*]Tunc autem Aligeris famulis, cælique ministris
Accitis; tandem jejunia solvit Jesus.
[*d*] Discipulos legit bis senos, retia tantum
Nectere, & assuetos indagine cingere pisces.
Non jam divitiis, atavisve, aut artibus ullis
Ingenuis, non doctrinæ, ingeniive decoros
Fama, non suadæ, aut facundæ munere linguæ.
Hos tamen, hos Orbis fieri jubet ille Magistros:
(*e*)*Vos lux Mundi estis* dixit, fecitque perinde
Ac dixit. Vocem exaudivit, factaque lux est.
Obscuri illi homines facti clarissima Mundi
Lumina, divinæ sparserunt munera lucis
Undique: quæque diu, longe lateque per Orbem
Regnabant ubivis tenebras, noctemque fugarunt.
Qualis cælestes inter pulcherrimus ignes
Auroram increpitat seram, nitidusque refulget

Luci-

(a) *Rursum scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ib. v. 7

(b) *Vade Satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ibid. v. 10.

(c) *Et ecce Angeli accesserunt, & ministranant ei.* Ibid. v. 11.

(d) *Elegit duodecim.* Luc. 6. v. 13. *Erant enim piscatores.* Matth. 4. v. 18.

(e) *Vos estis lux mundi.* Matth. 5. v. 14. *Dixit de tenebris lucem splendescere* 2. ad Cor. 4. v. 6.

Lucifer; ille tamen rudis eſt, & terrea moles.
Totum ab Sole ſuum trahit ille, bibitque nitorem.
Quin deſperata penitus caligine merſis
(*a*)Ignotam primus lucem impertivit Jeſus.
Nempe oculis, qui nativas, nimiumque ſequaces
Ex utero ſecum Matris traxere tenebras,
Qui nihil [ah!] poterant, præterquam flere, nec ullos
Guſtarent unquam jucundi luminis hauſtus;
Perpetuis vivi tenebris, quaſi morte ſepulti.
Tot retro ſæclis, quamvis excuſſerat umbras
Mortis nonnemo; nemo has excuſſerat umbras.
Cæcigenorum oculis ſuperaddere, & indere lucem,
[*b*]Uſque recenſendo prima inde ab origine Mundi,
Nulla unquam audierat tale hoc, nec viderat ætas.
Exigua hæc. Multo Jeſus majora parabat
[*c*]Munera, Divino ut luſtraret lumine mentes
Venerat. Huic operi intentus (mirabile dictu!)
(*d*)Nec ſibi tam charæ Matris meminiſſe videtur.
Hoc agit, huic operi incumbit. Per caſtra, per urbes,
Qua ſe *Jordanes* fundit circumque, ſupraque,
Quaque *Paleſtinæ* contra, Mare litora torquet,
[*e*]Itque, reditque viam. In monte, in convallibus imis,
In templo, in triviiſque etiam, per compita ſæpe,
Perque vias paſſim lucem accenditque, docetque.
[*f*]Undique convenere omnes audire docentem,

Nec

(a) *Ut aperies oculos cæcorum*. Iſa. 42. v. 7.
(b) *A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati*. Joan. 9. v. 32.
(c) *Illuminare his qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis*. Luc. 2. v. 79.
(d) *Quæ eſt Mater mea?* Matth. 12. v. 48.
(e) *Et circuibat Jeſus omnes civitates, & caſtella docens in ſinagogis eorum, & prædicans* Math. 9. v. 35.
[f] *Et ſequebatur eum turba, & comprimebant eum*. Marc. 5. v. 24. *Ita ut non poſſent neque panem manducare*. Marc. 3. v. 20.

Nec cibo ali finit interdum circumflua turba.
Ante chaos deforme erat orbis, & omnia densis
Obvolvebantur, turbabanturque tenebris.
Devenere homines fabri, artificesque deorum.
(*a*)Et qui dimidium lignum combusserat igni;
Lignum dimidium, manuumque opera ipsa suarum,
Degener, & tota obbrutescens mente, putabat
Esse deos. Vix *Philosophi*, vix unus, & alter
Agnorant Unum; sed turpiter hi quoque multa
[*b*]Numina adorabant. Ierant per devia cæci,
Cæcorumque duces fuerant cum *Socrate*, *Zeno*,
Pythagoras, *Plato*, *Aristoteles*, quæ nomina magna
Inflatis adeo crepitabat *Græcia* buccis.
Nam constare Deum, veluti nos, corpore quodam
Censebant; nec quid tandem, quid *Spiritus* esset,
Cognorant illi satis, aut confinia justi,
Injustique, unus potuit sat cernere quisquam.
Nemo unus regere, & recte componere mores
Evaluit. Quæ recta quidem bene multa docebant,
Turpibus, & crebris erroribus incestabant.
Ac veluti manibus puerorum turbo, flagello
Percitus, incertis subsultans saltibus errat,
Et redit unde abiit, rursusque repente recedit,
Ancipitemque trahit gyrum erro, stareque nescit:
Sic inconstantes, variique, levesque feruntur
Philosophi, nusquam tandem consistere certi.
Nunc animos nullo perimi, neque posse resolvi
Interitu, nullis cum constent partibus: ajunt:
Mox autem super hoc titubant, misereque vacillant.
Nunc

(a) *Medium ejus combussit igni. . . reliquum autem ejus deum fecit.* Isa. 45. v. 16. *Opus manuum suarum adoraverunt*. Isa. 2. v. 8.
(b) *Cum cognovissent Deum; non sicut Deum glorificaverunt*. Ad Rom. 1. v. 21. *Et coluerunt, & servierunt creaturæ potius quam Creatori*. Ibid. v. 25.

Nunc humana regi cura, certoque deorum
Consilio, nunc consilium intercedere nullum,
Nec curare Deum credunt mortalia quenquam,
Sed surdi immoto volvi omnia tramite fati;
Aut contra instabili temere impelli omnia casu.
Et modo condemnant, modo laudant qui sibi mortem
Consciverе ipsi, fugerent ut tædia vitæ;
Nunc super hoc titubant, solita & vertigine rapti,
Ambiguos semper circumvolvuntur in orbes.
(a) *Philosophis* puer est, & anus sapientior illis
Omnibus, ex quo Orbi vox est audita Magistri
(b)Divini. Ille novi sanxit pia fœdera amoris.
(c)Infensosque ipsos inimicos jussit amari;
Quos odisse erat & virtus, & gloria quondam
Barbara; nec satis est adeo ignovisse. Magister
Vult, bene item factis odia, & malefacta rependi.
Rursus, quod fieri passim sine more solebat,
(d)Edicto vetuit, dein vincla jugalia solvi.
Crimen adulterii admitti [exsecrabile crimen!]
(e)Vel solo intuitu, solaque cupidine mentis,
Admonuit. Tantum potuit vesana nocere
Corde latens, solisque oculis grassata libido!
(f)Pauperibus cælum addixit, contraque negavit
Hoc fore divitibus facile, & proclivius esse

Ad-

(a) *Universos filios tuos doctos a Domino*. Isa. 54. v. 13.

(b) *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sic ut dilexi vos*. Joan. 13. v. 34.

(c) *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos*. Matth. 5. v. 44.

(d) *Qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit mœchatur, & qui dimissam a viro ducit, mœchatur*. Luc. 16. v. 18.

[e] *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœcatus est eam in corde suo*. Matth. 5. v. 28.

(f) *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Math. 5. v. 3. *Facilius est Camelum per foramen acus introire, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Luc. 18. v. 25.

Addidit, intrare, & per acum transire *Camelum*.
(a)Discipulos omnes post se jubet ire, crucemque
Ferre humeris. Qui detrectans portare recusat;
Hunc negat esse suum. Pleno vocat ore beatos
(b)Qui lugent, qui nil meriti, patiuntur acerba,
Et mala multa. Ingens cælo his est, altaque merces.
Infligenti alapam porgi patienter, & ultro
[c]Vult aliam necdum percussam verbere malam.
Interea, vult ille, suos contemnere mortem
Impavidos: & non illos, qui perdere ferro
[d]Corpora, de se ultro demum peritura; sed illum,
Qui potis est animas etiam multare, timendum,
Cumque anima æternis corpus quoque tundere flammis.
[e] Edicit: *Mosis* cathedram, sedemque verendam,
Vel cum Scriba aliquis sedet, indignusque sedere est.
(f)Vult: qui præcedit, majorque est, ceu minor esset,
Se gerere, & nullo inflari, aut turgescere fastu.
[g]Siquid cui dederit, siquid bene dextera fecit;
Non vult germanam, non vult id scire sinistram.

Quod-

(a) *Si quis vult post me venire abneget semetipsum: & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me*. Luc. 9. v. 23. *Qui non bajulat crucem suam, & seqnitur me: non potest meus esse discipulus*. Luc. 14. v. 27.

(b) *Beati qui lugent*. Matth. 5. v. 5. *Beati estis eum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me*. Ib. v. 11. & 12.

(c) *Si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, prabe illi & alteram*. Ibid v. 39.

(d) *Nolite timere eos, qui occidunt corpus .... sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gebennam*. Matth. 10. v. 28.

(e) *Super cathedram Moysi sedernnt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate*. Matth. v.23. 2. & 3.

[f] *Qui major est in vobis fiat sicut minor, & qui precessor est sicut ministrator*. Luc. 22. v. 26.

(g) *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*. Matth. 6. v. 3.

(*a*)Quodque unum, laudem, pompam virtutis amabant
Philosophi; condemnavit, longeque removit.
(*b*)Ille orare Deum rite, assidueque precari
Nos docuit, nosque instituit (quod nemo suapte
(*c*)Auderet) non tam Dominum; quam dicere Patrem.
(*d*)Orbis non caperet libros, siquis modo posset
Scribere quæ docuit, quæ fecit & omnia Jesus.
Nox erat, & tenebris involverat omnia: flammæ
Sidereæ cælo vixdum, timideque micabant,
Cum Jesus tres discipulos, queis sæpe solebat
Plus indulgere, arcanos & credere sensus,
In montem secum abducit, de moreque Patrem
Orabat. Sed enim sublimis in aera raptus,
Fulgorem immensum, ingenitum, quamque intus alebat
Impulit, explicuitque, & tum prorumpere lucem
(*e*)Concessit: neque erat jam vultus, nec color idem.
Fusa videbatur nix undique texere vestem:
(*f*)Instar Solis erat facies: lux undique totus.
Qualis erat tum demum apparuit: Alter, & alter
(*g*)Adstabant lateri Vates: qui scilicet olim
Captivam exemit vinclis, & duxit ab oris
Isacidum gentem *Phariis*, Regemque ferocem
Contumulavit aquis: & qui trepidantibus auris,
Flammigero excelsum vectus super æthera curru.
At sermo interea (quis tale hic?) de cruce, deque
N Com-

(a) *Attendit ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis*. Ibid. v. 1.
[b] *Oportet semper orare & non deficere*. Luc. 18. v. 1.
[c] *Sic ergo orabitis: Pater noster, qui es in cælis*. Matth. 6. v. 9.
(d) *Quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libri*. Joan. ult. v. ult.
(e) *Et facta est dum oraret species vultus ejus altera*. Luc. 9. v. 29.
[f] *Et resplenduit facies ejus sicut Sol: Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Matth. 17. v. 2.
(g) *Et ecce apparuerunt eis Moyses, & Elias cum eo loquentes*. Ibid. v. 3.

(a) Complendo *Solymis* excessu. Gloria nempe
Hæc illi est, hæ deliciæ, hoc unum ardet, amatque.

REX MANSUETUS.

Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Matth. 21. v. 5.

CARMEN XXIX.

Ultra quam dici fas, quam comprendere mente,
Mansuetus noster Rex est, & mitis Jesus.
Filius ille *hominis* vulgo cognomine dici
Vult: nec supra hominem, quamquam est Altissimus, effert
Se. Affabilior nemo, mansuetior alter
Nemo fuit. Regum Rex est, atque Arbiter orbis;
Sed non majestas, non alta potentia frontem
(b) Asperat, aut tristem vultu, aspectuque severum
(c) Reddit. Non ille imperiosam attollere vocem,
Aut majestatem rigido portendere vultu,
Aut aliquem meritæ sceleratum dedere morti
Qui mortis dominus, vitæque est. Hanc dedit ille
Multis, at nulli eripuit: nam venerat, Orbem
Pacare, & gravibus vinclis; & carcere vinctos
[d] In libertatem asserere, afflictisque mederi,
Et recreare, & lugentes solarier omnes.
Non autem damnare aliquem. Deprensa recenti
Femina adulterio (quod non nisi morte piandum,
Et

---

[a] *Et dicebant excessum, quem completurus erat in Jerusalem*. Luc. 9. v. 31.

(b) *Non erit tristis, neque turbulentus*. Isa. 42. v. 4.

[c] *Non clamabit . . . neque audietur vox ejus foris*. Ibid. v. 2.

[d] *Misit me ut mederer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem . . . ut consolarer omnes lugentes*. Isa. 61. v. 1. & 2. & Luc. 4. v. 17. *Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*. Jo. 3. v. 17.

Et quod terrendum; tumulandumque undique faxis
Crimen erat) vinclis religata adducitur: urgent
Accusatores duri, legemque nefandi
Ultricem ostentant sceleris, poenamque reposcunt
Sancitam: lapides ultro, citroque minantur.
Et quid tum Judex? Arcana recondita quædam
Nescio quæ, digito, curvans se, in pulvere signat.
Et mox consurgens: Primus lapide impetat ille,
Qui sine peccato est vestrum. His quasi fulmine, verbis
Perculsi, aut quasi versa retro in se saxa redirent;
(*a*)Conticuere, abiere omnes. Conversus ad illam,
Et queis vincta manus (sic fama est) vincula solvens:
Qui te accusabant ubinam sunt? Nemone tandem
(*b*)Te condemnavit? Neque ego; I, resipisce periclo,
I salva, i melior, veterumque extingue malorum
Famam, & consceleraci ultra, & peccare deinceps
Jam noli, Ut Rex, utque Auctor, dominusque supremus
Legis supplicio exemit, legemque refixit.
Festinabat iter *Solymam*, fessumque labore
Sidoniam ingrediens urbem, succedere tecto,
Et recipi hospitio, feraque recumbere nocte
(*c*)Poscebat. Sed inhumani repulere precantem:
Nec lassum veriti peregrinum, more ferarum,
Arcere, & tectum fesso, hospitiumque negare.
(*d*)Vellent discipuli, descendere fulmina cælo,
Absumique domos, & inhospita mœnia flammis.

 Non

(a) *Audientes autem unus post unum exibant . . . & remansit solus Jesus, & mulier in medio stans* v. 9. *Dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant: nemo te condemnavit?* v. 10.

(b) *Neque ego te condemnabo. Vade, & jam amplius noli peccare.* v. 11.

(c) *Ei non receperunt eum; quia facies ejus erat euntis in Jerusalem.* Luc. 9. v. 53.

(d) *Domine, vis dicamus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos?* v. 54.

Non tulit hoc dici, & juſtas pius obtudit iras
(*a*)Jeſus: Neſcitis, inquit, quo vos rapit ardor,
Quamque mei facit, abſimiles, qui ferre ſalutem,
Qui ſervare animas veni; non perdere morte.
Sicubi quam poſſit lucrari, quidquid inepti
Cenſores contra obſtreperent; neque limina adire;
Nec ſceleratorum plerumque accumbere menſis
Horreſcit. Quin *Zachæo* ſeſe ingerit ultro,
Qui nempe infando, & male nato fœnore partas
Accumulabat opes. Sed amor ſatiatus habendi
Eſt, ſimul ac tantus ſucceſſit ſedibus hoſpes.
(*b*)Quæ fraude, & furto congeſſerat; omnia reddit
Quadrupla: dimidiata ſua impertitur egenis.
Tantum hoſpes potuit Jeſus ſuadere bonorum.
At (mirum omnino hoc magis eſt) affabilis ipſis
Proſtibulis fuit: ut piceas extinguere flammas,
Eque volutabro, & graveolenti abducere cœno
Poſſet, & abjecti curam inſpirare pudoris.
Tempus erat, quo Sol medio ſublimis Olympo
Regnat, & excelſo de culmine fulminat æſtus
Urentes, nemorumque altorum contrahit umbras.
Fervet anhela dies; languent, ſitientibus agris,
Demittuntque caput flores: animalia paſſim
Strata jacent, patuliſque expirant naribus ignes:
Et cantu ceſſant, obmuteſcuntque volucres.
(*c*)Hac ora, ad puteum, propter *Samaritidos* urbis
Mœ-

(a) *Et converſus increpavit illos dicens; Neſcitis cujus ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere; ſed ſalvare.* v. 55. & 56.

(b) *Stans autem Zachæus* dixit *ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus: & ſiquid aliquem defraudavi reddo quadruplum. Ait Jeſus ad eum: Quia hodie ſalus domui huic facta eſt.* v. 8. & 9.

(c) *Jeſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſupra fontem. Hora erat quaſi ſexta.* Joan. 4. v. 6. *Venit mulier de Samaria haurire aquam.*

Mœnia, longum iter emensus, mediique diei
Sole fatigatus, tandem consedit Jesus.
Venit & ad fontem vicina ex urbe, procaci
Incessu, altivolisque oculis lasciva puella,
Dextra hydriam, tricasque ferens, de more, sinistra.
Hauserat allatura domum, cum supplice voce
(a)Imploravit aquam Jesus. Ast illa superba,
(b)Quorsum *Judæus* mihi tu te sistere coram
Audere, & potum petere a me? Si modo scires
(c)Qui sum, qui posco; tu a me, fortasse petisses:
Et tibi aquam meliorem ista, vivamque dedissem,
Multis hinc illinc sermonibus, omnia tandem
Vicit: & in melius mitis mutavit Jesus.
Quæque lupanaris nuper spirabat odorem
Femina; longe alias casto jam pectore flammas
[d]Excipiens, hydriamque suam, laqueosque relinquens;
Egit præconem Christi, totamque per urbem
Discurrens; totam Christi inflammavit amore.
Tu multo felix mage *Magdalena Maria*,
Ut tu, hilares inter mensas, conviviaque, audax,
Et bene nunc effrons, irrumpis! Et omnia luctu
(e)Confundens, lacrimis oneras revoluta, rigasque
Quos amplexa pedes Jesu: tergisque capillis
Formosis. Frustra tamen hoc: nam rursus amaro

(a) *Dicit ei Jesus: da mihi bibere.* v. 7.
(b) *Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Judæi Samaritanis.* v. 9.
(c) *Respondit Jesus & dixit: Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* v. 10.
(d) *Reliquit ergo hydriam suam mulier.... Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris.* v. 28. & 39.
[e] *Lacrimis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.* Luc. 9. v. 38.

Flumine, & immenso lacrimarum turbine inundas.
Nec te usque hærentem pedibus, repetitaque dantem
Oscula detrectat, neque dedignatur Jesus.
(a) Sed neque quos (frangens alabastrum, nequa superfit
Gutta tibi) pedibus rursum, capitique sedentis
Jesu, thesauros pretiosos, nardi, & amomi,
Et casiæ, & stactes manu utraque effundis odores.
Arguet hoc, & perjurus damnabit *Judas*,
Discipulique alii ignari; at non linquet inultam
(b) Jesus te. Obtrectatores compescet, agetque
Pro te stans defensorem: totumque per Orbem,
Et quacumque sua expandit Sol lumina, magna
Præconum voce extolli hæc tua facta jubebit.
Perge modo, & jamjam moriturum (namque sepultum
(c) Haud poteris) nunc præverte, & nunc unge volentem.
Magna hæc Mansueti Regis documenta; sed ultra
Ecce aliud majus. Confossus, pendulus alta
De trabe: tormento, pœna, rituque latronum
Expirans inter sceleratos, undique septus
Hostibus; his ipsis ignosci postulat, & vult:
Excusans, ignorantes fecisse, Supremos
Hoc inter mortis gemitus poscitque, rogatque
(d) Patrem: dum rabidi insultant, & sævius hostes
(e) Impia inhumani obtrudunt convicia ad aurem.

Usque

(a) *Unguenti nardi spicati pretiosi, & fracto alabastro effudit super caput ejus.* Marc. 14. v. 3.

[b] *Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me . . . Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur & quod hæc fecit in memoriam ejus.* Matth. 26. v. 10. & 13.

(c) *Quod habuit hæc, fecit: prævenit ungere corpus meum in sepulturam.* Marc. 14. v. 8.

(d) *Crucifixerunt eum, & latrones, unum a dextris & alterum a sinistris: Jesus autem dicebat: Pater dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Luc 23. v. 33. & 34.

(e) *Et stabat populus spectans, & deridebant eum.* v. 33.

Usque adeo clemens, ad portentumque benignus,
Usque adeo noster Rex est mansuetus Jesus!

BONUS PASTOR.

Ego sum bonus Pastor. Joan. 10. v. 11. & 14.

CARMEN XXX.

ECquis hic est *Libani* veniens de vertice, tranans
Colles, transiliens montana cacumina Pastor?
Rore madens, & lacteolus, rubicundus & ore,
Quo sine nil dulce est quidquam, neque amabile quidquam.
Tesqua per horrida, per vepreta, per invia saxa,
Per scopulosa, per & prærupta, per aspera quæque,
Errabundam, quam ab sese malus abstulit error,
Quærit ovem. Et quamquam tam longo errore viarum
Fessus; nec vultum meminit sudore madentem
Tergere nec Solis furias, æstusque veretur,
Nec gelidam noctem, matutinamque pruinam,
Nec torvis cælum involventes nubibus imbres.
Nil sentit: Plenus curarum, plenus amoris,
Interea dum perditæ ovis vestigia lustrat;
Nullum horret, nullum non devorat ille laborem.
Sollicitum sic reddit amor. Quotcumque perirent,
Præcipitesque agerentur oves; non pauper, inopsve
Propterea fieret: millenis undique caulis
Sunt illi innumeri tuti cum matribus agni.
Pastorum princeps est, & ditissimus agri,
Atque ovium; sed ne pereat, sit anxius unam,

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Cant. 2. v. 8. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*. Cant. 5. v. 2.

Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus. Ibid. v. 10.

Tanquam sola foret, tanquam non amplius una
Illi esset, sic ingratam conquirit, amatque.
(*a*)Desertis alias, solisque in montibus omnes,
Tamquam si illarum foret immemor ille, reliquit.
Utque est cantandi, pastorum more, peritus,
Interdum dulci movet ore, & arundine carmen,
Si trahat errantem, si forte ad ovile reducat,
Illiciatque iterum sensim dulcedine cantus.
Et memini vocem, nuperque & verba tenebam:
(*b*)Vos omnes quotquot mœsti, immersique dolore,
Quique humeris onus, & pondus portatis iniquum,
Et gemitis fessi, victique labore, venite
Illicet ad me omnes: feram ego solamen, opemque
Et tergam lacrimas, gemitusque silere jubebo.
[*c*]Ipse humeros oneri supponam, vosque levabo.
Inque sinu blande ipse meo, gremioque fovebo.
Jordanis memini hæc illum cecinisse sub antris,
Ac proceræ etiam scripsisse in cortice cedri
Sæpius: atque etiamnum non delebile carmen
Eminet. Est aliud scriptum hoc in cortice palmæ,
Et nisi me fallunt pastores, ipse canebat:
(*d*)Surge, veni, speciosa veni, & mea casta *Columba*:
Inque foraminibus petræ faciam tibi nidum,
Quo, *Milvo* prædone procul, secura quiescas
(*e*)Ostende o! faciem: tua fac sonet auribus & vox:
Nam

(a) *Nonne reliquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit*. Matt. 18. v. 12.
[b] *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis & ego reficiam vos*. Math. 11. v. 18.
[c] *In brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit*. Isa. 40. v. 11.
(d) *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in caverna materiæ:*
(e) *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2. v. 13. & 14.

Nam tua vox eſt quam dulcis, facieſque decora.
Currite *Idumaea* teneræ, caſtæque puellæ,
Ferteque Paſtori divino lilia plenis
(*a*)Fiſcellis, & narciſſos, calthaſque, roſaſque
Fragrantes, quibus ille ſuum ſoletur amorem.
Ferte & odorifera inter flores *Citria* mala:
Et ſuccum exprimite, & lymphis, & melle remixtum
Porgite languenti; ſiquod fortaſſe levamen
Afferat, ardentemque hæc potio mitiget æſtum.
(*b*) Peſtis acerba, lueſque infanda infecerat omnem,
Vaſtabàtque gregem. Serpens vafer omnia circum,
Paſcuaque, & fluvios, ipſaque in origine fontes
Arcano imbuerat tabo, imbueratque veneno.
Sæpe cadaveribus congeſta cadavera, propter
Flumina, perque vias, perque agros fuſa jacebant.
Præterea quaſi non ſtrages tanta hæc ſatis eſſet;
(*c*)Debacchabantur paſſim fureſque, lupique,
Donec ab æthereo deſcendens vertice Paſtor,
(*d*)Arcuit a ſtabulis fureſque, lupoſque rapaces:
Sanavitque gregem, docuitque ſalubribus undis
Fonte novo, quem monſtravit, quemque extudit ipſe,
(*e*)Mortiferamque ſitim, veteremque avertere peſtem.
Nec ſatis hoc: oleo fragrantia balſama miſcens,
Quam dederat ſalientis aquæ vitale lavacrum
Infirmis auxit, confirmavitque ſalutem.
Præſagivit, oves ductas errore, ſuamet
Sponte petituras mortali intincta veneno

Pa-

(a) *Fulcite me floribus, ſtipate me malis*. Ibid. v. 5.
[b] *Regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſen etiam in nos*. Ad Rom. 5. v. 14. *In omnes homines mors pertranſiit*. Ibid. v. 12.
[c] *In medio luporum*. Matth. 10. v. 16.
[d] *Salvabo gregem meum, & non erit ultra in rapinam*. Ezec. 34. v. 22.
[e] *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam*. Joan. 3. v. 14.

Pabula, quasque ater serpens afflaverat herbas.
Quique indignari, irascique perire volenti
Debuerat; tulit huic etiam medicamina morbo
Accersito ultro: quædamque recondita verba
(a)Pastores docuit, queis & depellere morbos,
Tabificamque luem confestim abstergere possent.
Quin, ultra hæc, ne cui mala gramina deinde placerent,
Toxicaque illecebris pellacibus illita; sanctam
(b)De cælo allatam Cererem, cerealia liba
Manducanda dedit, mensasque paravit opimas,
Queis positæ in tuto constarent vita, salusque.
Dein ducturus oves meliora ad ovilia, sursum:
Siqua lateret adhuc fortasse recondita labes
Velleribus, siqua aut forsan vestigia morbi
Præteriti; delere etiam, sanctoque linitu
(c)Tergere, candoremque dedit renovare nivalem.
Et cum mortalem speciem, mortalia membra
Induerit, mortem exoptans, animamque daturus
Pro grege; Pastores, queis danda vicaria cura,
(d)Suffecit, qui nempe gregis detergere sordes,
Cælestemque etiam cælo deducere panem,
Sicuti erant docti, verbis, ac voce valerent.
Cumque videret agi in præceps pecudesque, gregesque
Impulsos stimulis sine lege furentis amoris;
Protinus instabilem, variumque, vagumque refigens;
Firmavit quæ nutabant socialia jura,
(e)Mansuramque fidem, & sanctissima fœdera sanxit.
Si-

(a) *Quacumque solveritis super terram, erunt soluta, & in cælo*. Matth. 18. v. 18.

(b) *Panem de cælo dedit eis manducare*. Joan. 6. v. 31. *Ut si quis ex ipso manducaverit non moriatur*. Ib. v. 50.

(c) *Et si in peccatis sit remittentur ei*. Jacob. 5. v. 14.

(d) *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Joan 20.

(e) *Præcipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere*. 1. ad Cor. 7. v. 10.

[a] Siquis erit, qui te, Pastor dulcissime Jesu,
Non amet; ille odium mortalibus omnibus, ille
Fomes inextinctis, tenebrosisque ignibus esto.

TRIUMPHUS.

Ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ, Jo. 12. v. 15.

CARMEN XXXI.

DEsine (connivet quamquam tibi subditus orbis)
Desine, *Roma*, tuos jactare superba triumphos,
Quosque triumphales agis ad *Capitolia* currus,
Victricesque tuas ad cælum tollere pompas.
En major *Solymis* supereminet, itque triumphus.
Non Reges hic (infandum!) post terga revincti
Squallentes luctu: non auri immensa talenta
Captiva, aut captivæ urbes: non pompa superba,
Pompa cruenta, volens hominum data millia morti:
Nec lugubre rubent, neque rorant sanguine palmæ.
Omnia lætitiam spirant hic, omnia rident.
Ecce venit Rex mansuetus, venit & sine pompa,
Pullo *asini* insidens: nam sic prædixerat, olim
Venturum, totis quingentis amplius annis
(b) Retro, hæc vaticinans præsago carmine Vates.
Frons, oculi, major mortali gratia vultus,
Omnia divini portendunt signa decoris.
Nudus erat vertex: per dorsum a vertice crines,
Cincinnique ibant sinceri: missa fluebat
Ad talos, sine futura, contextaque gyro

Uno

(a) *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema, Maran Atha*. 1. ad Cor. 16. v. 22.
(b) Zachar. 9. v. 9.

[a]Uno perpetuo; violasque imitata colore
Vestis, quam parvo Puero properaverat olim
Ipsa suis Mater manibus, noctesque, diesque
Incumbens operi: dein sensim creverat una
Cum Puero; neque tot lapsos dum senserat annos.
Effudit sese portis urbs. Quam solet alto
Fundere se, rupto cælo, spessissimus imber.
Quacumque incedit, quacumque incedere tentat;
(b)Detractas humeris venienti sternere vestes
Certatim accurrunt omnes, seseque vicissim,
Utro uter obsequio impigrior, prævertere, certant,
Præripiuntque aliis alii sortemque, vicemque.
Lilia, purpureasque rosas super undique plenis
Effundunt calathis, & inumbrant aera nimbo,
c)Frondes de arboribus, palmas, oleasque virentes,
Quisque suum populatus iter, sternuntque, feruntque
Præ manibus. Credas ipsas incedere silvas:
Quin ipsas videas ultro ab radicibus imis
Lauros, ultro etiam submittere culmina palmas,
Et placide Regi clinare cacumina montes.
Tempus erit, cum submittent *Capitolia* frontem,
Cum septemgemini curvabunt se quoque colles.
[d]*Hosanna* Rex de excelso, sate sanguine *David*,
Clamore immenso ingeminant. Fremit undique plausus
Undisonus: longe valles, montesque resultant.
Pone sequebatur tanti pars magna triumphi

La-

(a) *Erat autem tunica inconsutilis*; *desuper contexta per totum*. Joan. 19. v. 23.

(b) *Plurima, autem turba straverunt vestimenta sua in via.* Matth. 21. v. 8.

(c) *Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via*. Ibid.

(d) *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes: Hosanna Filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: hosanna in altissimis*. Ibid. v. 9.

E *Lazarus*. Hunc, nequeunt ſatiari corda, tuendo.
Exſequias nuper comitati, & funera teſtes:
(*a*)Nos exſpiranti adſtitimus, gelidumque cadaver
Lugubri extulimus planctu, obruimuſque ſepulchro.
Quatuor ille dies, totidem jam funere noctes
Merſus erat, graveolentemque exhalabat odorem,
Peſtiferamque luem circum, mortemque, metumque,
(*b*)Sed tamen ad vocem, imperiumque jubentis Jeſu
Exire, exivit, non ſtans, non viribus uſus
Ille ſuis; ſed qualis erat, tumuloque jacebat,
Subtentus dorſo totus, facieque ſupinus,
Sindoneque, & circum replicatis undique vinclis
Funereis; vittiſque immobilis, inque volutus.
Hæc illi. Nec multo alii diverſa ferebant:
(*c*)Ut juvenem Matri unigenam, melioribus annis,
Tum cum prima genis vernabat flore juventa,
Fato immaturo ereptum, feretroque repoſtum
Funereo, tangens feretrum revocaverit Orco,
Lugenti immenſa, improviſaque gaudia Matri.
(*d*)Ut flenti rurſum Matri, Patrique puellam
Reddidit: & tanquam ſomno, non morte jaceret:
Surge puella. Hoc uno, excuſſit funera, verbo.
Ut conſanguineos lethi, lethumque ferentes

Di-

(a) *Teſtimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, & ſuſcitavit eum a mortuis.* Joa. 12. v. 17. *Jam fœtet, quatriduanus eſt enim.* Joan. 11. v. 39.
(b) *Voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies ejus ſudario erat ligata*. Joan 11. v. 43. & 44.
(c) *Defunctus efferabatur filius unicus Matris ſuæ ... Et acceſſit, & tetigit loculum. Et ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit qui erat mortuus*. Luc. 7. v. 12. 14. & 15.
(d) *Tenens manum ejus clamavit dicens: Puella ſurge: & reverſus eſt ſpiritus, & ſurrexit continuo*. Luc. 8. v. 54. & 55.

(*a*)Dispulerit passim morbos, febresque, tumentemque
Hydropem, insanamque sitim: infestæque *Dianæ*
Iras fulmineas pacarit, & arida membra,
Tabidaque implerit succo, impleritque vigore:
Sopitosque diu, extricaverit illicet artus,
(*b*)Vixque habiles desudando reptare, repente
Fecerit æquato celeres incedere gressu.
(*c*)Utque exsiccarit, compescueritque cruoris
Flumen vel furtim contacta lacinia vestis.
Utque loqui dederit, queis turpe, & inutile pondus
(*d*)Lingua hærebat iners: & respondere vocanti
Indociles, ac femineces animaverit aures:
(*e*)Extinctisque afflans oculis lucemque, diemque,
Nativas etiam plerumque absterserit umbras.
(*f*)Tumque, ut squammigera illuvie, sanieque nefanda
Corpora mandavit passim. Hæc tunc pessima pestis
Regnabat; sed enim jamtum pene exsulat orbe.
Tartareas etiam pestes irrumpere passim
Corporibus miserorum, & iniquam ibi figere sedem
(*g*)Assuetas, quanto imperio procul egerit, utque
Osten-

(a) *Obtulerunt ei omnes male habentes, & variis languoribus, & tormentis comprehensos . . . & lunaticos, & paralyticos, & curavit eos*. Matth. 4. v. 24.

(b) *Claudi ambulant*. Matth. 11. v. 5. *Tunc saliet sicut cervus claudus*. Isa. 35. v. 6.

(c) Luc. 8. v. 44.

(d) *Surdos fecit audire, & mutos loqui*. Marc. 7. v. ult. *Aperta erit lingua mutorum*. Isa. 35. v. 6. *& aures surdorum patebunt*. Ibid. v. 5.

(e) *Caci vident*. Matt. 11. v. 5. *Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum de domo carceris sedentis in tenebris*. Isa. 42. v. 7.

(f) *Leprosi mundantur*, Matth. 11. v. 5., & Luc. 7. v. 22.

(g) *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo*. Matth. 8. v. 16.

(*a*)Auditus gemitus: *Venisti* (heu!) *perdere tu nos?*
Undique consurgit clamor: sua munera quisque
Ostentans, ad sese oculos rapiuntque, trahuntque.
Narrabant alii: vidisse per æquoris undas
(*b*)Tutum ire, & stabili calcantem cærula passu:
Et colluctantes solitum compescere ventos,
(*c*)Et facere irato tranquilla silentia ponto.
Seque fuisse inter convivas, seque bibisse
Quas (simul ac velle hoc sese tacite innuit adstans
Mater) mutavit generosa in pocula lymphas.
Interea panes alii, Cereremque beatam
Ostentant, plenas lances, plenosque canistros.
Et: quinque hi panes fuerant; at jussit Jesus
Turbæ hos sufficere innumeræ, fusisque per herbam
Distribui; simul, ut voluit, simul omnia facta.
(*d*)Millia quinque hominum longeque, diuque retentam
Agrestem, sævamque ultro ingluviemque, famemque
Explevit: puerosque etiam, imbellemque sequentem
Turbam. Quantumvis magnas absumere messes
Possent; at panes quinque haud potuere. Supersunt
Bis seni expletis grandes, plenique canistri:
Victa fames spolia hæc nobis pretiosa reliquit.
Hæc illi. Plausus magis increbrescit, & alta
Sidera pulsantur fremitu, instaurantque triumphum.

Deus

(a) *Venisti perdere nos?* Marc. 1. v. 24. & Luc. 4. v. 34.
(b) *Venit ad eos ambulans super mare.* Matth. 14. v. 25.
(c) *Imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Matth. 8. v. 16. Joa. 2. a v. 1. ad 11.
(d) *Et manducaverunt omnes, & saturati sunt. & tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & parvulis.* Matth. 14. v. 20. & 21.

DEUS ABSCONDITUS.

Vere tu es Deus Absconditus. Isa. 45. v. 15.

CARMEN XXXII.

CUM dilexisset sibi quos delegit amicos;
Mirum, incredibile est quantum dilexit eosdem
In finem vergens, & jam moriturus Jesus.
Qua nocte, horribili mox proditione nefandi
(a)Discipuli, tradendus erat cui venditus hosti,
E cœna surgens, erat etsi perfidus ille
Inter bis senos; jubet illos usque sedere
Ordine quemque suo: celer ipse, & plenus amore,
Mittit aquam in pelvim, circum sibi candida cingit
Lintea, deque genu toto ore, & pectore pronus,
Sollicitus modo aquas manibus, modo lintea tractans;
Illorum ille lavare pedes, & tergere cœpit.
Hic admirari attonitus, blandeque precari,
Deinde etiam multa *Petrus* vi tendere contra.
(a)Tune lavare pedes: & me cessare quietum
Sperasti? Quorsum tu te demittere tantum?
(b)Tune mihi? Nunquam per me tibi tale licebit.
Nil agis ô! tu sancte senex, frustraque repugnas.
Abluet ille pedes, dabit hæc tibi & ultima amoris
Pignora cara sui, frustraque moraris Amantem.
Et tamen hoc quantum est nihil est. Majora supersunt

Majus

(a) *In qua nocte tradebatur.* 1. ad Cor. 11. v. 23. *Cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet illum Judas Simeonis Iscariotæ... surgit a cœna ponit vestimenta sua, & cum accepisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim, & cæpit lavare pedes discipulorum & extergere linteo, quo erat præcinctus.* Joa. 13. a v. 1. ad 5.
(b) *Et dicit ei Petrus: Domine tu mihi lavas pedes?* Ibid. v. 3.
(c) *Non lavabis mihi pedes in æternum.* v. 8.

Majus amoris opus parat, & molitur Jesus.
Vox o! vos omnes accerso, & provoco, Amantes,
Quotquot in Orbe aliquando, nuncve, olimve fuistis,
Dicite, siquid amor magnum, & memorabile suasit
Moliri, vestros laudando expandite amores.
Congerite huc etiam quotquot vel Fabula mendax
Obstrepit, Historia aut siquos miratur Amantes.
Quam sunt momenti exigui! quam frigida sordent
Omnia, divino si componantur amori!
Sordent *Euryalus*, *Nisus*: *Pyladesque*, & *Orestes*:
Tyndaridæque, & *Atridæ* ambo: *Patroclusque*, & *Achilles*
Frigent *Mausoli* cineres, quos miscuit omnes,
Vinoque, & mixtos lacrimis carissima conjunx
Exhausit. Quam majus opus molitur Jesus!
Omnipotens ut erat, potuit plus, plus & amavit.
Ille intentatam ante viam tentavit, & alto
Quæsivitque sibi, invenitque in pectore sedem:
Ingeniosus, inaudito miraculo amoris,
(a)In panem, in vinum, extollens vocem omnipotentem,
Verbo transformat sese. Cibus esse videtur;
Et semet manibus gestat, se dividit ipse:
Infert sese in discipulorum pectora totus,
Quique Homo, quique Deus; totus sub imagine panis;
Qualis erat coram, & rursus sub imagine vini,
Totus erat. Latebras interdum quærere Amantes,
Et furtim auscultare solent: placet usque latere,
(b)Clamque esse. Hunc morem sibi nunc adsciscit Jesus:
Nec putat indignum, nec dedignatur amare
Has tam humiles latebras: facilem de vite liquorem,
Et facilem, exiguam & Cererem. Ultro se abdidit ille

O In

(a) *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Joan. 6. v. 56. & 57.

(b) *Respiciens per fenestras, & prospiciens per cancellos.* Cant. 2. versic. 9.

In mica, in puncto. Deus en *Absconditus* hic est.
Audax est; sed enim nunquam ausa est Fabula tantum.
Parce precor, Jesu, sine me o! mitissime Jesu,
Succensere tuo, si fas, audenter amori.
En quid agis? Necdum tu homines bene nosse videris,
Impium, & ingratum semper genus. Huncmet amorem
Christe tuum, tanquam vana esset fabula, multi,
Heu! multi excipient risu, infandoque cachinno.
Credere portendent alii se, ibuntque frequentes
Templa: tuas passim proni sternentur ad aras.
Te coram stabunt; stabunt sed corpore coram;
(a)Mente tamen procul usque aberunt, & nil minus illi,
Quam te, o dulcis Amor, secum tum mente revolvent,
Nonne vides? Alios vel tum meditantur amores,
Cum tua templa adeunt, & cum tua sacra frequentant.
Unum nempe tuum illi obliviscuntur amorem,
Contemnunt te unum. Tamquam vilissima quæque
Tractarent; audent scelerati hæcmet tua sacra
Polluere: & sanctæ polluti accedere mensæ.
Ecce modo, immane hoc audet jam perfidus ille.
Quisquis amat, saltem (minimum hoc est) sperat amari.
Tu quid agis? Quorsumque tuos sic perdis amores?
Sed nihil ista movent Jesum: nam plus amat ille,
Quam sumus ingrati, crudeles, perfidi, acerbi
Nos homines: neque amasse unquam nos penitet illum
Scilicet ut mater furiatum, menteque captum,
Atque reluctantem gremio fovet anxia gnatum,
Deliciasque suas vocat, & mille oscula figit,
Perdita, blanditiasque novas meditatur, & urget;
Ille oculos circum asper volvens, torva tuetur,
Et sputa, & spumas Matri male torquet in ora;
Sed

(a) *Appropinquat populus iste ore suo: & labiis suis glorificat me; cor autem ejus longe est a me.* Isa. 29. v. 13. Matth 18. v. 8. & Marc. 7. v. 6.

Sed necdum pueri Matrem, neque tædet amoris:
(a)Sic nos, multo etiam mage nos dilexit Jesus.
Digredi, & a nobis avelli, & corpore abesse
Non tulit; offensæ potius, scelerique scienter
Perfidiæque protervorum, opprobriisque patere
Maluit, & tacitus, præsensque oblivia nostra
Adspicere, & graviora etiam, atque infanda subire,
Quæ rabidus contra furor, impietasque parabant.
Gaiscit amando, & multiplici præsentia adesse
Vult, ubicunque volet, quoties & voce vocabit,
Et quoties: *hic est* dicet firmo ore Sacerdos
Innumerabilia accumulans portenta, suique
Oblitus, totusque suo duntaxat amori
Intentus, nostro sese committit habendum
Arbitrio. Hæc eadem, quæ feci, & vos facite, inquit
(b)Quandocumque animus feret, & mihi amica voluntas:
Et memores estote mei. Quis talia fando
Explicet, aut verbis immensum hunc æquet amorem?
Ecce & ego, quot sunt hominum, & indignissimus unus.
Vix ego, vix, inquam, tono dum sanctissima verba;
Protinus & panis perit, & fit corpus Jesu,
Illicet, & vinum nullum est; sed sanguis Jesu:
Solaque jam superest mera vini, & panis imago.
Quantus amor! Quantus! Proh sanctum nomen *Amoris*
Usque profanatum! Nunc demum, quid sit *amare*,
Agnosco. Solus nempe o! sincerus amator.
Tu Jesu, & *vere Deus* alte *Absconditus es tu*.

(a) *Quomodo sicut Mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Isa. 66. v. 13.
(b) *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. v. 19 & 1. ad Cor. 11. v. 24.

M Œ R O R.

Anxiatus est super me spiritus meus: in me conturbatum est cor meum. Ps. 142. v. 4.

CARMEN XXXIII.

Protinus exsurgens, in montem, ubi ducere noctes
Orando, insomnes solitus, contendit Jesus.
Horridior solito nox, & mage nigra tegebat
Omnia. Terrorem augere, & stillare cruorem
Luna videbatur, funesta, & lurida vultu.
Ibant discipuli pavidi, tristesque, nefandam
Perfidiam *Judæ* edocti, tacitique Magistrum
Cuncti aspectabant flentes, lacrimisque dolorem
Explebant. Jesus illis ventura recensens:
(a)Vos inquit, vox nocte ista, ut Pastore perempto,
Disperguntur oves gregis, abscedetis, & omnes.
Conturbabimini, perterriti abibitis omnes.
Sed ne despondete animum: ipse a morte reductus
Præcedam vos in Galilæam, & semper amabo
Vos. Haud consensit *Petrus* his: animosus, & audax,
Quoque erat ingenti erga Jesum abreptus amore.
(b)Quidquid agant alii; me nulla pericula, nulli
Terrores abs te avellent. Per tela, per hostes
Te sequar. At Jesus: mox jam tu, scilicet ante
Quam

Egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivarum. Secuti autem sunt illum & discipuli. Luc. 22. v. 39.

(a) *Omnes vos scandalizabimini in me in nocte ista: quia scriptum est: percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galileam.* March. 14. v. 27. & 28.

[b] *Petrus autem ait illi: etsi omnes scandalizati fuerint in te: sed non ego. Et ait illi Jesus:*

(a)Quam gallus cantet bis; ter me, *Petre*, negabis.
Petrus adhuc refragari, seseque paratum
Asserere in gladios ruere, & contemnere mortem.
(b)Jamque propinquabant horto, & de nomine dicto
Gethsemani: arboribus locus obsitus undique opacam
Lunam obscurabat magis, addensabat & umbras
Et jam tempus erat, quo crudelissima quæque
Omnia, ut ardebat dudum, exhauriret Jesus.
[c]Hoc desiderium, pro nobis quidquid acerbi est
Perferre, hæc illum sitis insatiabilis urit.
Carnifices poterant corpus laniare: dolores
Vulneraque aggerere, & probrosæ dedere morti;
Angorem tamen, & mœrorem afferre beatæ
Haud poterant animæ. Voluit tamen hunc quoque tantum,
Quantum nemo, unquam mortalis, sponte subire.
Ergo uno obtutu cuncta impendentia cernens
Tormenta, anticipansque animo, atque in imagine multo
Vividiore ipsis rebus, ludibria, probra,
Verberaque, & sputa, atque alapas, palmasque, pedesque
Multa vi, & ferro terebrandos, & paliurum
Hæsurum capiti, atque introrsum fustibus actum:
Hæsuramque hastam lateri, sævissimaque, ultra
Mortem, vulnera defuncto infliganda: sitimque
Viscera torrentem irridendam felle, & aceto:
Atque inimicorum rabiem, suspiriaque inter
(d)Postrema, irrisus, sannas, maledictaque ad aurem:
Quin etiam adstantemque cruci, absumptamque dolore

 Aspi-

(a) *Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam gallus vocem bis dederit; ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: etsi oportuerit me simul commori tibi non te nenegabo*. Ibid. a v. 29. ad 31.

(b) *Tunc Jesus venit cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani*. Matth. 26. v. 36.

(c) *Quomodo coarctor, usque dum perficiatur*. Luc. 12. v. 50.

(d) *Omnes videntes me deriserunt me*. Ps. 21. v. 8.

Aſpiciens gladio trajectam pectora Matrem;
(a)Horruit, intrarun*t*que animi penetralia mœror
Tetrior; & laniena ipſa crudelior angor,
Et pavor, immenſumque & inelu*c*tabile pondus.
(b)Et feſtinaſſent mortem, mortemque dediſſent
Extemplo; niſi probroſæ ſe abducere morti
[*]Nolens, atque avidus patiendi plura, vetaſſet
Ipſe, uni falcem cui mors ſubmittit, & arcum.
Longius ab reliquis lapidis jactu ab tribus ipſis
(c)Diſcipulis mage dilectis avulſus, & illos
Exhortans, ut & orarent, laqueoſque caverent
(d)Orando; ſternens ſe in terram, cernuus ore
Oravit Patrem: ſi ita fert tua ſancta voluntas,
Mortiferum hunc a me calicem devolve, necique
Eripe. Nec vero quod vellem ego; ſed quod tu vis,
Id fiat. Totum oblitus, totumque videtur
Sepoſuiſſe Deum, nequid non ille doloris
Sentiret, nequod ſibimet ſolamen, opemque
Ferret. Sed rurſus tanquam Deus, omnia jamtum
Antevidens longe; vidit tot deinde futuros
Ingratos homines, qui quos tulit ille dolores
(e)Peccando augerent, rurſumque affigere ligno
Tentarent furioſi illimet, pro quibus ibat
Sponte animam tam crudeli demittere morti.
Inſurrecturum contra ſe vidit *Arium*:

Ne-

(a) *Intraverunt aquæ uſque ad animam meam*. Pſ. 68. v. 2.
(b) *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Matt. 26. v. 38.
(*) Vetaſſet u:ique a veravi. *Habet autem* vetavit *pro* vetuit. *Ovid. Metam. L. X. v.* 387. *&* *Perſius Sat.* 5. *v.* 90.
(c) *Avulſus eſt ab eis quantum jactus eſt lapidis*. Luc. 22. v. 41.
(d) *Procidit in faciem ſuam orans, & dicens: Pater ſi poſſibile eſt tranſeat a me calix iſte. Veruntamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu*. Math. 26. v. 39.
[e] *Rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes*: Ad Hebr. 6. v. 6.

Neſtorium in Matrem, *Helvidiumque*, & peſſima monſtra
Lutherum hinc, illinc *Calvinum*, tota trahentes
Mortiferis poſt ſe regna incantata venenis.
Vidit pejora auſuros, quos hæc tulit ætas
Philoſophos: qui nil ſanctum, intactumque relinquunt:
Divinoſque etiam ridere & ſpernere libros,
Sacrilegumque inſani audent ſtabilire tribunal,
Atque ibi Cenſores de Relligione ſedere.
Vidit, quod peragebat opus tam grande ſalutis,
Atque ſuæ mortis pretium fore inutile multis!
Et pro centenis, centenis millibus, eheu!
Fruſtra effuſurum ſeſe cum ſanguine vitam.
Hoc tetrum magis, hoc illi attulit infinitum
(a)Mœrorem: totiſque undis maris obrutus ille eſt.
Tum jam ſanguineus ſudor prorumpere: guttæ
(b)Ubertim filo in terram ſtillare cruento.
(c)Et veſtes ſaturare, & largis currere rivis
Undique, quæ revehunt vaſis hinc inde cruorem
Exterebratis præ mœrore, angoreque ruptis.
Heu! ego pars pœnæ tantæ, immenſumque dolorem
Movi ego: nam ſæpe in te auſus peccare protervus,
Et refricare tua, & rurſum diducere ſævus
Vulnera. Tu vero, tu nunc, chariſſime Jeſu,
Accipe quæ ſolæ lacrimæ, gemituſque ſuperſunt.
(d)Labere, ſancte Ales cælo, & ſolare jacentem.
Vult (mirum!) Deus ipſe tuo ſolatio egere.

(a) *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.* Pſ.68.v.4.
(b) *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Luc. 22. v. 45.
(c) *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Iſa. 63. v. 2.
(d) *Apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.* Luc. 22. v. 43.

OPPROBRIUM HOMINUM.

Opprobrium hominum, & abjectio plebis. Pſ. 21. v. 7.

CARMEN XXXIV.

HActenus ignari flendi, expertesque doloris
Lugete o cæli, vosque o! lugete beati
Aligeri, & pulchros lugendo obnubite vultus.
Vester Amor, quem vos adeo exardescitis usque
(a)Aspicere, aspectu qui vos recreatque, beatque;
Proh scelus! Opprobrium est hominum, atq; irrisio plebis!
(b)Nummis triginta, queis despectissima quæque
Mancipia exponi vulgo, addicique solebant,
(c)Ab sibi quam charo; sed perquam perfido amico
Proditus, atque suis venumdatus hostibus ecce est.
Perfidioso illi lugubria dicite verba,
(d)Figiteque, obruite horrisonis illum undique diris.
(e)Excelsam, exsecrande, tuam sedem occupet alter.
(f)Abrumpas vitam laqueo, infletumque cadaver
Rixa cruenta avidis jaceas canibusque, lupisque:
Tundatque, & rostro trahat ilia vultur obunco.
Subsidas imo umbrarum, abruptoque profundo:
(g)A dextrisque tuis draco stet, sævissimus ultor,
Arbi-

Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Jer. 2. v. 12.

(a) *In quem desiderant Angeli prospicere.* 1. Petr. 1. v. 12.

(b) *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Zach. 11. v. 12.

(c) *Homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Pſ. 40. v. 10.

(d) *Dilexit maledictionem, & veniet ei.* Pſ. 108. v. 18.

(e) *Episcopatum ejus accipiat alter.* Pſ. 108. v. 8.

(f) *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera ejus.* Act. 1. v. 18.

(g) *Et diabolus stet a dextris ejus.* Pſ. 108. v. 6.

Arbiter ille draco tenebrarum, & legifer Orci.
Quandoquidem tam exsecranda benefacta rependis
(a) Perfidia, insontemque inimicis osculo amicum
Prodere sustinuisti, ausus canibus dare sanctum.
(b) Irrumpunt illi armati. Quibus obvius ultro
Procedens Jesus, ut sese ostenderet ire
Sponte sua ad mortem, non vi: Quem quæritis adsum,
Ecce ego sum. Vix, ut dixit, simul arma, virosque
(c) Præcipites retroversum afflixitque, ruitque,
Effuditque solo, ceu posset fulmine, verbo.
Procubuere omnes resupini, Mortua credas
Corpora. Sic illi exanimi, immotique jacebant,
Præterea! necui damnum intentare suorum
[d] Auderet quisquam, verbo, imperioque coegit.
Quin *Malcho*, ante omnes tentanti immittere vincla;
(e) Quam gladio, & grandi *Petrus* dejecerat ictu
Aurem; restituit, populataque tempora tactu
(f) Integrat, & reddit quem ferrum excussit honorem:
Debuerant agnosse Deum, & portenta fateri;
(g) Ast erat illa hora illorum, umbrarumque potestas:
(h) Ergo iterum cæci irrumpunt, manicisque ligatum,
Et, sceleratorum de more, ad terga revinctum.
Ori intentantes gladios, funalia, tædas,
Funibus, & pugnis etiam, multaque trahentes

Vi

(a) *Odium pro dilectione mea*. Ibid. v. 5.
(b) *Circumdederunt me canes multi*. Ps. 21. v. 17.
(c) *Ut ergo dixit eis: ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram*. Joa. 18. v. 6.
(d) *Si ergo me quæritis, sinite hos abire*. Ibid. v. 8.
(e) *Simeon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis servum: & abscidit auriculam ejus dexteram*. Ib. v. 10.
(f) *Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum*. Luc. 22. v. 51.
(g) *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Ibid. v. 63.
[h] *Cohors ergo, & tribunus, & ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, & ligaverunt eum*. Joa. 18. v. 12.

Vi captum Jesum, quem paucis ante diebus,
Tanto illo, & tam magnifico excepere triumpho;
Quantum ignominiæ, quantum nox illa doloris
Attulit! Horresco referens. Mastigia vilis,
(a)Heu! alapa impetere, & divinum cædere vultum,
Sacrilegaque manu ausus, tartareoque furore est.
Expavit cælum, gemuitque exterrita tellus.
(b) Concilium horrendum cogunt, præsesque *Caiphas*,
Quo non aut rabie, scelere aut immanior alter:
Fare age, per vivens te obtestor; perque supremum
(c)Numen: Num tandem Christus, numquid Deus es tu?
(d)Omnino is sum, quem dixti, subjecit Jesus.
Adjecitque: olim sese, cernentibus ipsis,
Nubi insidentem venturum, ut judicet Orbem.
Tum vero ille senex furiata mente sacerdos
[e]Dirumpens vestes, tamquam exsecrabile quidquam
Audisset: Quid opus nobis jam testibus? Ecce
Audistis vosmet verba exsecranda. Quid ergo
Nunc vos, aut quæ nunc animo sententia surgit?
[f]Et *reus est mortis* (tamquam essent ore loquuti
Uno omnes) scelerato omnes simul ore fremebant.
Ausi-

(a) *Unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu*. Joa. 18. v. 22. *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis*. Thren. 3. v. 30.

(b) *Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum*. Matth. 26. v. 59. *Concilium malignantium obsedit me*. Ps. 21. v. 27.

(c) *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei*. Matth. 26. v. 63.

(d) *Tu dixisti, verumtamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli*. Ibid. v. 64.

(e) *Scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus: quid vobis videtur?*

(f) *At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis*. Ib. v. 65. & 66.

[a]Ausique expuere in faciem, insanoque tumultu
Irruere, & colaphis pulsare: & tundere pugnis,
Irasque explere, invidiamque, instarque Leonum
Circumfrendere, & certatim illudere capto.
Nequid inexpertum furor, impietasque relinquant;
(b)Obnubant oculos velo, multoque cachinno:
Eja age, quandoquidem Deus es tu, vaticinare,
Nomine compella, qui te hoc nunc verberat ictu.
Interea *Petrus* (neque pars hæc parva doloris)
Quamlibet admonitus nuper; tamen ille pavore
Abreptus, penitusque excussus mente, Magistrum
(Pro quo, nil dubitans medium se opponere morti;
Infestis ultro impavidus se objecerat armis)
(c)Destituit ter, terque illum se nosse negavit.
Deseruere omnes. Circum hostes undique. Nemo
Qui misereretur, solareturve relictus.
Post ubi lux scelus horrescens, invitaque fulsit;
[d]Concilium rursum sceleratum habuere, & inique
Damnatum, vinctumque retro adduxere *Pilato*,
Qui tum *Romanus* Prætor, Præsesve regebat
Judæam, satis ille sagax, & callidus. Illi
Vestibulum ante ipsum, cum stulta, cumque procaci
Ple-

[a] *Tunc expuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt.* v. 27. *Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens, & rugiens.* Ps. 21. v. 14.

(b) *Et velaverunt eum, & percusiebant faciem ejus: & interrogabant eum dicentes: Prophetiza quis est, qui te percussit.* Luc. 22. v. 64. *Et lumen occulorum meorum, & ipsum non est mecum.* Ps. 37. v. 11.

(c). *Nescio hominem istum, quem dicitis.* Marc. 14. v. 71. *In circuitu ejus hostes ejus.* Thren. 1. v. 17. *Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inveni.* Ps. 68. v. 21.

(d) *Et confestim mane concilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, & scribis, & universo concilio vincientes Jesum duxerunt, & tradiderunt Pilato.* Marc. 15. v. 1.

Plebe ſacerdotes mixti, amenteſque furore;
(*a*)Seditionis in Auguſtos, clamore protervo,
Inſimulant Jeſum. Hæc odioſa calumnia viſa
Opportuna magis rem præcipitare, & acerbam,
Quamque exoptabant inſonti arceſſere mortem.
Nec vero ſua ſpes illos, odiumve feſellit.
Atque equidem rabiem, accuſatorumque tumultum,
Atque ex adverſo tam mitem, tamque ſerenum
Vultum accuſati (quiſquis tandemforet ille)
Aſpiciens; facile invidia fieri omnia Præſes
Agnovit. Sed adhuc Jeſum ſcitatur, & urget:
[*b*]Rexne tu es? Aut quorſum hæc in te accuſatio regni?
(*c*)Et didicit: Regem eſſe quidem, nec regna caduca
Curare hæc, nec veniſſe hæc evertere regna.
Veniſſe, ut fuerat quæ cæca, & pervia nulli
Hactenus; extaret jam publica ſemita veri.
Exiit, inſontemque hominem, pro munere Judex
[*d*]Teſtatus; conabatur lenire furentes
Incaſſum. Rabidi magis illi attollere vocem:
[*e*]Seditioſum illum appellare, vocare rebellem,
Turbarumque facem, & caput, oſoremque quietis,
Et pacis. Primos auſum præbere tumultus
In *Galilæa:* inde egreſſum turbaſſe per omnem

Ju-

(a) *Cœperunt autem accuſare illum dicentes: Hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cæſari, & dicentem, ſe Chriſtum Regem eſſe*. Luc. 23. v. 2. *Acuerunt linguas ſicut ſerpentis: venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Pſ. 139. v. 5. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui*. Pſ. 26. v. 12.

(b) *Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille reſpondens ait: Tu dicis*. Luc. 23. v. 3.

(c) *Regnum meum non eſt de hoc mundo*. Joa. 18. v. 36.

(d) *Ait autem Pilatus ad principes ſacerdotum, & turbas: Nihil invenio cauſſæ in hoc homine*. Luc. 23. v. 4.

[e] *At illi invaleſcebant dicentes: commovet populum docens per univerſam Judæam, incipiens a Galilæa uſque huc*. Ibid. v. 5.

Judæam. Prætor cauſſam quacumque liceret
Ab ſe amoliri, ſeque hinc ſubducere tentans;
Ut *Galilæum* eſſe audivit, tranſmiſit Jeſum
Herodi Regi, qui forte advenerat urbem
Nuper, ſacrorum ſtudio, extinctique paterni
Imperii partem, *Galilææ* ſceptra tenebat.
Audierat Chriſti *Hærodes* miracula, lætuſque,
Et ſperans, portenta aliquot, ſe judice coram
Facturum; multis Jeſum ſermonibus ultro
[a]Aggrediens, præter propter, quam multa rogabat.
At Jeſus nihil audire, & perſtare perinde
Immotus tanquam ſurdus: nullum hiſcere verbum.
Mutus erat. Vocem illius Rex ille peremptam,
Sanguinea & lance invectam inter fercula, nuper
Proſtibulo infando obtulerat furialia dona.
Spretum ſe *Herodes* ratus; etſi excanduit; iram
Diſſimulans, tanquam male ſanum, menteque captum
(b)Ludicra indutum veſte ad prætoria miſit.
Et Prætor tunc: ecce, inquit, nil morte repertum
(c)Dignum eſt: & neque ego, neque Rex invenimus ullum
In miſero hoc crimen. Quorſum furor, iraque tanta?
Nuntius interea dederat quæ Præſidis uxor
(d)Hæc mandata ferens aderat: ne perdere Juſtum
Illum, neu tali ſcelerari funere mallet,
Nil meruiſſe: indigna pati: portenta minari:

Multa

(a) *At ipſe nihil illi reſpondebat*. Ibid. v. 8. & 9. *Ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum*. Pſ. 37. v. 14.

(b) *Sprevit autem illum Herodes cum exercitu ſuo: & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum*. Luc. v. 11.

(c) *Nullam cauſſam invenio in homine iſto.... Sed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum & ecce nihil dignum morte actum eſt ei*. Ibid. v. 13. & 14.

(d) *Miſit ad eum uxor ejus dicens: Nihil tibi; & Juſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum*. Matth. 27. v. 19.

Multa objecta oculis sibi mira, atque horrida visu:
Moris erat, cum nempe aderant illa annua sacra
(*Hæbreo Hæbræi* dicebant nomine *Pascha*)
(*a*)Quem populus vellet vinclis educere vinctum,
Quemque ipsi optassent sontem subducere morti.
Nunc tamen hanc Præses veniam, arbitriumque coercens:
(*b*)Ecquem mavultis, Jesum ne hunc, anne *Barabbam*
Dimitti vobis? Fieri neque posse putabat,
Ut non mavellent Jesum. Tam odiosus, & atrox
Alter erat. Sed lymphati, stolideque protervi,
(*c*)Et stygia accensi rabie, optavere *Barabbam*.
At tu pro scelere hoc tanto gens perfida, pœnas
[*d*]Quas tibi tu horrendas, serisque nepotibus, amens
Optasti, exsolvas. Videas tua mœnia circum
Millia centena, & centena cadavera truncis
Transversis affixa, atroque fluentia tabo,
Donec deficiant jam silvæ, & ligna, locusque.
Dira fames rabidos in mutua corpora dentes
Vertere compellat: pueros, partusque recentes
(*e*)Morsibus absumptos rursum in sua viscera condant
Matres. Ipsi hosti moveas lacrimas, gemitusque.
Corruat in cineres tristi, æternaque ruina
[*f*]Templum: nec tua in urbe super lapidem lapis exstet.
Tu tamen, in pœnas, totum errabunda per orbem
[*g*]Durabis, cunctis justa exsecratio, & horror Gen-

(a) *Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum quem voluissent*. Matth. 27. v. 15.

(b) *Congregatis ergo illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, aut Jesum, qui dicitur Christus?* Ibid. v. 17.

(c) *Clamaverunt ergo rursum omnes dicentes: Non hunc; sed, Barabbam*. Joa. 18. v. ult.

(d) *Sanguinis ejus super nos, & super filios nostros*. Matt. 27. v. 25.

(e) *Ita ut comedatis carnes filiorum vestrorum*. Lev. 26. v. 29.

(f) *Non relinquetur hic lapis super lapidem*. Matth. 24. v. 2.

(g) *Dabo eos in vexationem universis regnis terræ, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas ejeci eos*. Jer. 29. v. 18.

Gentibus, & cunctis odium opprobriumque futura.
Prætor tum vitam saltem se posse tueri
Sperans insonti, tentansque an sanguine posset
Feralem, immanemque sitim extinxisse cruoris;
(a)Verberibus cædi Jesum jubet. Horreo totus,
Verbaque, mensque etiam fugiunt, ac destituunt me.
Heu! atrox nimium, nimiumque infame luisti
Supplicium! plenum tormento, ignominiaque!
Nec triste hoc magis, aut ignominiosius ullum!
Addunt verberibus ludibria barbara: tritam
Jam chlamydem, fuerat quondam quæ purpura Regum,
[b]Ridentes circumvolvunt, capitique coronam
Sanguinolentis intertextam sentibus aptant:
Ridiculum dextræ sceptrum est fluvialis arundo.
Deinde genu posito: *Salve rex*, sputaque in ora
Torquent, ingeminantque alapas, & arundine sentes
Altius infigunt capiti, immanesque cachinnos
[c]Rumpunt. Nemo hominum, nemo unquam talia passus
Credidit aspectu hoc Prætor, quascumque ferinas,
Quamlibet indomitas tandem mitescere posse,
Et deflagrare, & pietate obtundier iras.
[d]Ergo iterum coram eductum, flagrisque cruentum,
Et spinis, digito ostendens: en inquit Jesum,
Ecce Homo. Tolle illi clamabant, figeque ligno,
Voci-

(a) *Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.* Joa. 19. v. 1.
(b) *Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. Et genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes: Ave Rex Judæorum. Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus.* Matt. 27. a v. 28. ad 30. *Et dabant ei alapas.* Joa. 19. v. 3.
[c] *Attendite, & videte si est dolor, sicut dolor meus.* Thren. 1. v. 11.
(d) *Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum: Et dicit eis: Ecce homo.* Joa. 19.

[a]Vociferabanturque audacius. Insuper audent
Prætori quoque terrorem intentare, minasque:
[b]Hunc nisi supplicio dedis, nisi morte coerces;
Tu quoque *Romani* Imperii te, & *Cæsaris* hostem
Præfers: nam contra hic audet turbare, sibique
Arrogat imperium, sceptrumque invadere tentat.
Prætor ad hæc animo fractus, victusque timore
(c)Improbo, & incassum tergens, quas sanguine tinxit,
Fœdavitque manus, insontem & rursus Jesum
(d)Testatus; morti tamen amandavit iniquæ
Impius Auctorem vitæ, Auctoremque salutis.
Festinatur ubique, oculisque ostenditur ingens
Pondere crux vasta, & rabide properata: suisque
(e)Vestibus induto, necui non cognitus esset,
Semianimique, ac dilaniato, artusque trementi
(f)Imponunt humeris transversum, infameque lignum,
Cui configendus, cui suspendendus erat mox.
Flagitiosorum, sua qui commissa luebant
Supplicio, excussis craniis, atque ossibus, alte
Horridus, ad Solem occiduum, egredientibus urbem
Mons erat: inde illi nomen *Calvarius*. Illac
Abducendus erat Jesus. Dat martia signum
Buccina: porticibus, tectis, plenisque fenestris
(g)Impendent avidi spectandi: compita, calles

Com-

(a) *Et clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.* v. 6. *Et invalescebant voces eorum.* Luc. 23. v. 23.
(b) *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari.* Joa. 19. v. 12.
(c) *Accepta aqua lavit manus coram populo dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus.* Matth. 27. v. 24.
(d) *Tunc ergo tradidit eis illlum, ut crucifigeretur.* Joa. 19. v. 16.
(e) *Et induerunt eum vestimentis suis.* Mar. 15. v. 20.
(f) *Et bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, hebraice autem Golgotha.* Joa. 19. v. 17.
(g) *Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me.* Ps. 21. v. 18.

Complentur: fremitu, concursuque omnia fervent.
(a)Dant manibus plausum ingentem, illuduntque superbi
Victo victores, insultantque auribus hostes.
Vix aliquot gemituque piæ, lacrimisque, sequuntur,
[b]Et lamentantur perculsæ pectore Matres.
Hinc, atque hinc densæ incedunt, sævæque cohortes,
Nudos præ manibus gladios, hastasque gerentes,
Aspectumque trucem. Capitum cava tegmina, cristæ
Sole incenduntur, flammisque minacibus ardent,
Terrificantque oculos. Raptatus funibus, iter
Lictores, interque hostes, interque latrones,
Ad vepresque pedes passim, atque ad saxa cruentans
It Jesus, nos ut moriens vitæ afferat, utque
(c)Affigat ligno decretum mortis acerbæ.

DOMINUS MORTIS.

Habeo claves mortis. Apoc. 1. v. 18.

CARMEN XXXV.

NIl magis indomitum, nihil imperiosius unquam
Morte est. Regnandi mire ambitiosa, feroxque,
Arbitrium cerebrosum, exlex, cæcumque superba
In nos imperium exercet. Sic, ut lubet illi,
Quando & cunque lubet, quin fas obsistere contra
Ulli sit, nulloque status discrimine, nullo
Ætatis, quot sunt homines (Regesque perinde
Ac plebem abjectam, & vulgus, purosque, senesque
Confundens passim temeraria) calcat iisdem

(a) *Plauserunt super te manibus*. Thren. 2. v. 15.
(b) *Plangebant, & lamentabantur eum*. Luc. 23. v. 27.
(c) *Delens quod adversum nos erat chirografum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud cruci*. Ad Colos. 2. v. 14.

Ad libitum cunctos pedibus, subigitque domatque.
Fatiferamque atrox falcem rotat undique, & arcum
Horrisonum, prout instigat, suadetque libido.
(a)Nec retinere aliquanto ictum, saltemque morari
Tantisper, cuiquam mortali est facta potestas.
Sponte sua, suo & arbitrio duntaxat Jesus
Mortuus est. Moriendi unus tempusque, modumque
Optavit. Sicut veniendi in luminis auras,
Et Matrem, & tempus nascendi elegerat unus.
Non illi, ut nobis, Animam *Mors* eripit. Ultro
(b)Pro nobis Animam dare vult, & ponere vitam.
(c)Ut vitam daret, utque etiam horroremque metumque
Eriperet moriendi; conculcare ferocem
Vult, atque amplexu omnipotente elidere *Mortem*.
Ut *Mortis Dominus* moritur. Non deficit illum,
Non fracta est vox, aut animus. De more serenus
Fronte, oculis, gestu, imperturbatus, eodem
Quo pacare undas, tempestatesque solebat,
(d)Vultu est. Et: *Pater*, exclamat, *dimitte*: quid isti
Committant, haud agnoscunt, Patientia tanta,
Tantaque pax animi morienti est. Pro hostibus usque
Ad mortem immani, rabidaque furentibus ira,
Invidiaque, Deum supplex, Patremque precatur.
De geminis Crucis, ac pœnæ consortibus, unum
(e)Adsciscit cælo comitem, exauditque precantem.

Ast

(a) *Non est in hominis potestate prohibere spiritu, nec habet potestatem in die mortis*. Eccl. 8. v. 8.

(b) *Ego pono animam meam ... Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Joan. 10. v. 17. &18.

(c) *Ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti*. Ad Hebr. 2. v. 14. & 15.

(d) *Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt*. Luc. 23. v. 34.

[e] *Hodie mecum eris in Paradiso*. Ibid. v. 43.

Aſt alium maledicentem nihil increpat: audit
Leniter opprobria, & convicia vana vomentem.
Dein prope ſe ſtantem transfixam pectora Matrem
Aſpiciens gladio; ne *Matris* nomine vulnus
Aſperet, immenſumque, infinitumque dolorem
Augeat: appellans communi nomine, caro
(*a*)Præ reliquis coram adſtanti commendat Alumno:
Inque vicem Matri dilectum credit Alumnum.
Utque palam faciat, quidquid crudele, & acerbum
In morte eſt, exhauſiſſe, & ſubiiſſe libenter;
(*b*)Conqueritur ſibi de cælo ſolatia nulla
Eſſe: Deumque vocat, neque tum cognomine *Patrem*
Appellat. Tanquam abjectus, curæque paternæ
Expers, & tanquam prorſus foret ille relictus.
(*c*)Dein rurſus lamentatur, dicitque ſitire
Se. Sitis ultra etiam mortem violenta palatum
Viſceraque urebat. Neque jam, ſi non Deus eſſet,
Ac ſitis, ut *Mortis Dominus*; prorumpere vocem
Poſſet. Profuſo toto, exhauſtoque cruore;
Hærerent ſiccis verba immorientia labris.
Nec ſedare ſitim quærit, ſolatiave ulla
Ambit. De ſeſe quæ ſunt cuncta edita Vatum
(*d*)Oracla impleri vult. Scriptum: felle, & aceto
Potandum. Simul utrumque ut guſtaverat ore:
(*e*) Omnia jam completa, alte pronuntiat. Inde
Altius attollens vocem, clamoreque magno
Compellans iterum Patrem tranquillus, & ipſi

(a) *Mulier ecce filius tuus. Ecce Mater tua.* Joa. 19. v. 26. & 27.
[b] *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me?* Matth. 27. v. 46. Pſ. v. 2. Vide Bened. XIV. de Fer. ſexta in Paraſceve n. 103.
(c) *Sitio*. Joa. 19. v. 28.
(d) *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto*. Pſ. 68. v. 22.
(e) *Conſummatum eſt*. Joa. 19. v. 30.

(a) Concredens quam vult Animam demittere morti;
Divinum inclinans fessum caput, exspiravit.
Exspiravit enim, nostramque hanc vivere vitam
Desiit ipse Auctor vitæ, cui scilicet uni est
In vitam, in mortemque etiam suprema potestas.
(b) Centurio admirans clamorem, voceque tanta
Exhalasse animam: longe hoc excedere morem
Humanum agnoscit, Dominumque, Deumque fatetur.
Tantum illum clamor docuit morientis Jesu!
Divisere sibi dein vestimenta. Sed illa
Quam puero tunicam Jesu properaverat olim
Ipsa suis Mater manibus, sorte obtigit uni.
(c) Nam sancta hanc etiam cecinere Oracula sortem.
Distentis cruce moris erat contundere crura
Fuste aliquo, aut clava, aut ferro: fregere & utrique
Latroni. Solus Jesus restabat. At ille
(d) Hoc vetuit. Sibi comminui sibique ossa refringi
Noluit. Hoc *Agno* fieri *Lex* ipsa vetabat:
Et fuit ille hujus Divini umbra, & typus *Agni*.
Vel minima hæc, & cuncta suam spectantia mortem
Pro libitu regit, atque ut vult moderatur Jesus.
Morte ipsa ostendens *Mortis Dominum* esse, Deumque.
(e) En *Primogenitus* cur Jesus dictus eorum,
Qui morti concesserunt. Sic dicitur ille,
Sponte sua amplecti quia vult, gustareque mortem:
Et quia *Mors* illi *claves*, sceptrumque reliquit.

(a) *Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Et hæc dicens expiravit.* Luc. 23. v. 46.

(b) *Videns autem centurio... quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo filius Dei erat.* Marci 15. v. 39.

(c) *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Ps. 21. v. 19.

(d) *Ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo.* Joan. 19. v. 36. Exod. 12. v. 46.

(e) *Primogenitus ex mortuis* ad Coloss. 1. v. 18. *Primogenitus mortuorum*. Apoc. 1. v. 5.

EXCESSUS.

Dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem.
Lucæ 9. versic. 31.

CARMEN XXXVI.

Heu! Quianam tanta gemuit convulsa ruina
Undique totius tremefacti machina Mundi!
Quid tam atrata dies! Quid tam lugubribus umbris
Extinctus medio Sol supra in culmine cæli est!
Luna procul nunc est: nec totum extinguere Solem
Luna potest, nec tam ambitiosam offundere noctem,
Quæ cælum, totumque involvat, & obruat Orbem.
(*a*)Templi vela, hominum nullis cogentibus, ipsa
Sponte indignantur, summoque a vertice ad ima
Stridorem, irasque ingeminant, & rupta dehiscunt!
Saxa etiam rumpuntur! Hiant revoluta sepulchra!
Apparent simulachra modis surgentia miris!
Succutitur fundo imo tellus! Omnia lugent
Immensum, interitumque Orbi, exitiumque minantur!
Scilicet indigna, & crudeli morte peremptus
Exspirabat Homo Deus. Et sensit, gemuitque,
Auctoremque suum morientem exhorruit Orbis.
Hiccine, quem spinis horrentem tempora circum,
De clavis, de vulneribusque, & de trabe cerno
(*b*)Pendentem, mediumque duos hinc inde latrones,
Hiccine Homo Deus est? Et quis committere tantum

P 3 Ausus

Oscuratus est Sol. Luc. 23. v. 45. *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram*. Marc. 15. v. 33.

(a) *Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt. Et monumenta aperta sunt*. Matth. 27. v. 51. & 52.

(b) *Crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc, & hinc; medium autem Jesum*. Joa. 19. v. 18.

Ausus, vel potuit?
Quam lacerum ha! quam triste, cruentatumque cadaver!
Aspice diffusum totum exhaustumque cruorem!
(*a*)Aspices vibices, plagasque & verbera: sputaque,
Atque alapas in vultu ipso: & quæ vincula, funes
Passim impresserunt vestigia multa cruenta!
(*b*)Aspice distenta, exturbataque ab ossibus ossa!
Obsignatos morte oculos, & sanguine multo
Concretos! Etiam concretos sanguine crines:
Imbutasque, & rorantes quoque sanguine spinas!
(*c*)Et manum utramque, & utrumq. pedem grandi, atq. trabali
Clavo confixos ad palum, & vulnere ruptos!
Ruptum etiam pectus! Vulnus crudelius hoc est.
Postremum ediderat gemitum, exspiraverat; atra
Mors erat in vultu, palam erant vestigia mortis.
(*d*)Et tamen immanis tentavit lancea pectus,
Ultima scrutatum est ferrum penetralia cordis;
Siqua lateret ibi vitæ pars ulla superstes.
Ferrum crudele, & multo crudelius ipso
Clavorum ferro! Nihil o crudelius unquam!
Quis tibi nunc Mater Virgo afflictissima sensus,
Cum prope stans immota, Deum, Gnatumque videres
Inter tormenta, atque inter ludibria, clavis
Infami affixum palo, & jam morte natantes
Defigentem oculos in te, & suspiria dantem
Postrema, & tandem claudentem lumina morte?
Ultra etiam mortem transfossum cuspide pectus.
(*e*)Stabat. Perque genas mutæ lacrimæ, atque silentes
Ibant

(a) *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas*. Isa. 1. v. 6.

(b) *Dispersa sunt omnia ossa mea*. Ps. 21. v. 15. *Dinumeraverunt omnia ossa mea*. Ibid. v. 18.

(c) *Foderunt manus meas, & pedes meos*. Ibid.

(d) *Unus militum lancea latus ejus aperuit*. Joan. 19. v. 34.

(e) *Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus*. Ibid. v. 25.

Ibant. Nec planctu, nec femineo ululatu
Obstrepit. Infandum, dirum, immensumque dolorem
Pectore conclusum, laniantem viscera; totum
Sustinuit, Materque, eademque tenerrima Virgo
Stabat, cum totus rueret, pessum iret & orbis.
Mira, ingens, & digna Dei constantia Matre!
O bene, quod video geminos & sanguine claros,
Et pietate Viros accinctos tollere corpus
De cruce! Jam scalas ambo subiere, crucemque.
Evellunt spinas primum, sævamque coronam:
Stillat adhuc multus renovato e vulnere sanguis.
Percrepat, & gemitu, & repetitis ictibus instat
Malleus, & crebra forceps vi annixa laborat
Eruere intortos retrorsum a cuspide clavos:
Hos jam tandem exemere, amplexuque cadaver
Divinum stringunt, mœstissimaque oscula figunt.
Fortunati ambo nimium! Qui sustinet orbem
Sustentant. Ipsorum humeris, colloque recumbit.
Heu! major, Virgo, major te pœna manebat!
Illa quidem Gnati lacerum, & miserabile corpus
Virgineo excepit gremio, complexaque, & hærens,
Materno vultum vultu, atque os ore premebat.
Pallida, & attonita ubertim, & sine murmure fusis
Vulnera tergebat lacrimis, lacrimisque lavabat.
Agnoscisne hos, Virgo, oculos, hæc ora, manusque?
Filius hicne tuus, sobolesque æterna Parentis,
Divini, & cum Patre Deo Omnipotens Deus ipse:
(a)Heu! quam dissimilis, quantum mutatus ab illo,
Cujus in aspectu noctesque, diesque trahebas!
Cujus ad imperium Manes, & paruit ipsa
Improba Mors: surda actutum patuere sepulchra,
Redditaque amissæ viguere cadavera vitæ?

[a] *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum.* Isa. 53. v. 2.

Hoc amor, hoc [mirum] potuit, mortemque Deumque
Miscuit. En utrumque tibi! Ecce Deum! Ecce cadaver!
[a]Mortuus est nostra infanda ut commissa piaret.
Mortuus, ut nostra ablueret peccata cruore;
Ne nos, qui meriti, nos qui peccavimus ipsi
Morte immortali, æterno lueremus & igne.
Flere libet. Pro me extincto, extinctoque latronum
Supplicio; lacrimis saltem exsequialia solvam.
Ergone tu ferro ad palum? Et quis ego, ut morerere
Tu pro me sic?....
[b]Audebo, & dicam: Mente excessisse videris,
Cum nos, cum me adeo ingratum tam perdite amasti,
Prodigus, ut velles divinam effundere vitam,
Et tam ignominiosa, & acerba occumbere morte.
Hic erat excessus *Solymis* complendus amoris,
Quem *Moses*, quemque *Elias* in vertice tecum
Mortis, mussabant, mirabanturque vicissim.
Excessit Deus: excessum complevit: amavit
Ad mortem, atque ultra. Spirant hæc vulnera amorem.
Hæret, & attonitum Carmen silet, ac silet orbis:
[c]Vos lacrymæ, & gemitus succedite....

SOPOR EXCUSSUS.

Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi. Ps. 3. v. 5.

CARMEN XXXVII.

ITe procul gemitus, procul hinc absistite luctus:
Nam sopor ille fuit; non mors. Dormivit, & alte
Sponte soporatus; mox jam surrexit Jesus.

Magda-

---

[a] *Mortuus est pro peccatis nostris*. 1. ad Cor. 15. v. 4.
(b) *Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam*. 1. ad Cor. 1. v. 23.
(c) *Plangent eum planctu quasi super unigenitum*. Zacch. 12. v. 10.

Magdala, quid tumulo tu inconsolabilis hæres,
Lugendo, & vix non moreris consumpta dolore?
Quidve unguenta paras, interque cadavera demens
(*a*)Quæris viventem? Nulla hic jam funera. Nullum
Stringere quod possis flendo inter brachia corpus,
Atque aloe, & mixta lacrimis perfundere myrrha:
Spargere cui violas possis, & lilia circum,
Et mœrentem hyacinthum, immortalesque amaranthos.
Huc ades o! Vacuum sine corpore cerne sepulchrum.
Crede oculis tu te ipsa tuis. Quem perdita luges
Tantum, quem tantum suspiras, *Magdala*, vivit.
Vivit, & ille tuus non est hic *Magdala*, Jesus.
Rupit, si nescis, perrupit vincula mortis,
Ceu posset facilem, placidumque abrumpere somnum:
Nil vigilum excubiæ, miles nihil obstitit illi,
Nec lapidem immanem superimposuisse sepulchro,
Quem nulli vectes, posset vis nulla movere.
Et poterat solo nutu ille revolvere saxum;
Noluit: intacto juvat illum exire sepulchro,
Integra ut exivit quondam de Virginis alvo.
Olim erat afficis Morti sopor; illa sopori
Fastu se extollens affinem se esse negabat.
Quippe recensebat crebros sine fine triumphos:
Tot populos, urbesque, & regna sepulta ruinis,
Tot, tantos, tamque excelsos, Regesque, Ducesque;
Qui fuerant quondam populorum terror, & Orbis;
Nunc cinis exiguus sunt, exiguæque favillæ:
Hic Jacet, hoc illis superest de Regibus unum.
Non ita Rex Regum. Morti concessit, obivit
Ille, sed illius super hæc sunt scripta sepulchro:
[*b*] *Surrexit jam*, *Non est hic*, *surrexit Jesus*.

Nunc

Maria autem stabat ad monumentum foris plorans. Jo.20. v.11.
(a)*Quid quæritis viventem cum mortuis*. Luc. 24. v. 5.
(b) *Surrexit*, *non est hic*. Marc. 16. v. 6.

Nunc primum affinis placidoque similima somno
Mors fuit. Illa alios jam dedignata triumphos;
Immortalem etiam tandem vicisse canebat.
Vulnera vulneribus, tanto diffisa triumpho,
Congessit post mortem etiam, obstruxitque sepulchrum.
Jamque videbatur sibimet secura triumphi:
Et currus, & equos, atque aspernata quadrigas;
Alta triumphales, nigras superinduit alas,
Tentabatque superba ipsum conscendere cælum,
Atque ipsi, ut terris, cælo dominarier atrox.
Vah! Insanisti. Nescis, temeraria, nescis
Contra quem steteris. Nescis vicisse volentem
(a)Sponte sua vinci. Tua te victoria perdet.
(b)Tu quoque, *Mors*, moriere, crucique affixa trophæum
Augebis. Cælos dum Mors meditatur, & astra;
(c)De cruce descendit Deus ille ad regna profunda,
Ad manes, *Erebumque*, potestatesque tremendas
Aerias, quæ devictum, fessumque premebant
Crudeli imperio, & sceleratis legibus Orbem.
[d]Tunc autem trepidare metu, penitusque repostis
Abscondi tenebris. Conantibus edere contra
Cum clamore horrendum ululatum; faucibus hæsit
Vox retro, inceptus clamor frustratur hiantes.
(e)In genua, in vultus pronæ curvantur, adorant
Omnes Victorem attonitæ, totoque profundo
Contremuere cavæ, gemitumque dedere cavernæ.
At Rex æthereas iterum subiturus ad auras,

Pal-

(a) *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 63. v. 7.

(b) *Ero mors tua, o mors.* Ose. 13. v. 14. *Absorpta est mors in victoria. Ubi est mors victoria tua?* 1. ad Cor. 15. v. 54. &56.

(c) *Descendit primum ad inferiores partes terræ.* Ad Eph. 4. v. 9.

(d) *Infernus subter te conturbatus est in occursum adventus tui* Isa. 14. v. 9.

(e) *Mihi flectetur omne genu.* Ad Rom. 13. A. 11. *Cælestium, terrestrium, & infernorum.* Ad Philip. 2. v. 10.

Pallidaque imperio effringens, tenebrosaque claustra,
Et spolia, & tanto dignam Victore reducens
Prædam, captivas dudum, dudumque gementes
(a)Exemit vinclis animas, cœtusque verendos
Patrum, laurigerosque choros, piaque agmina Vatum,
Carmina qui, dictante Deo, divina loquuti,
Venturum cecinere Orbi. Quin corpora multa
(b)Sanctorum, in mutos cineres, per sæcla, redacta
Stare iterum secum jussit, secumque venire,
Confessumque sibi, & pulchros glomerare triumphos.
Nec mora: quæ nuper cineres; jam plena vigoris,
Plenaque jam vitæ, circumdata & undique luce
Corpora erant. Ingens, vivum de Morte trophæum!
Mortem ipsam Victor pavitantem, & multa gementem
Ire catenatam ad currum, & post terga revinctam
Jusserat, inque rotas, longa cervice reflexa
Retrorsum, scabros, avidosque inlidere dentes.
Panduntur portæ: tenebrosa sub axe tonanti
Congemuit tellus, matutinisque volucrum
Cantibus assurgens Aurora, & roscidus unda
Lucifer Aurora antevolans comitantur euntem
Hinc, atque hinc: liquidum prorumpit in æthera Victor.
Victor io! Bellator io! Tu vincere solus
Mortem: tuque *Erebi* solus perrumpere claustra
(*c*)Ferrea, & umbrarum æternos contundere vectes.
Solus tu Assertor, Vindexque es. Tu genus ultus
Humanum, tu captivis, tu vincula collo
(*d*)Eximis, & pigro, & tenebroso carcere vinctos In

(a) *Eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit*. Ps. 106. v. 15. *Expolians principatus, & potestates*. Ad Coloss. 2. v. 15.

(b) *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*. Matth. 27. v. 52.

(c) *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*. Ps. 106. v. 16.

(d) *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*. Zach. 9. v. 11.

In diam lucem, in libertatem asseris almam:
Vicisti; at te vicit Amor. Redivivus ab umbris
Quæ tibi fecit Amor charissima vulnera servas.
Vulneraque in corde; in manibus, revehisque, tenesque:
Vicit Amor: Victor Mortis nam victus Amore est.

REX GLORIÆ.

Attolite portas, principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex Gloriæ. Ps. 23. v. 7.

CARMEN XXXVIII.

IMmortalis erat: dignos jam nactus honores,
Deque triumphata repetitum Morte triumphum
Acturus Jesus, Rex debebatur Olympo.
Et tamen ille moras terris nectitque, trahitque,
Tanquam esset mortalis adhuc. Neque tædet amoris,
Nec meminisse piget, pro nobis vulnera, mortem,
Quidquid & infame est unquam, & crudele tulisse.
(a)Sæpe suis coram se sistit, seque videndum
(b)Exhibet, & palpanda manu sua vulnera porgit:
Atque manum in latus insinuandi, introque ferendi
(c)In plagas digitos (quanta indulgentia!) *Thomæ*
Quam temere imprudens optarat, facta potestas.
Deinde aliis, peregrini habitu, dubitantibus ultro
Occurrens; percunctatur: Quæ caussa quietos
Exagitet? Quanam sic tristes cura remordet?
Audit narrantes de se, quæ passus iniqua
Nuper erat: fieri, & sic evenisse, necesse

Cuncta

---

[a] *Per dies quadraginta apparens eis.* Act. 1. v. 3.
(b) *Videte manus meas, & pedes..... palpate, & videte.* Luc. 25. v. 39.
(c) *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Joa. 20. vers. 27.

Cuncta fuisse ait. Et simulans se longius ire;
Ire videbatur. Retinent, maneatque præcantur,
(*a*)Coguntque. Agnoscunt dum panem frangit utrisque
De more; ac sese ex oculis subducit, abitque.
Mentita specie Agricolæ tibi, *Magdala*, coram
(*b*)Adstitit, &, Mulier, quid fles? quem quæris? Ut ille
Dissimulat percunctando! Tu perdita luctu,
Amensque, ignotum censebas esse olitorem:
Urgebasque prece, & lacrimis, num forte tulisset
Illum? Tuque tuis humeris afferre parabas,
Quæ tantæ vires? Num tu asportare cadaver?
Ne dubita: tulit hic olitor quem quæris, habetque
Omnino secum, Jesumque abscondit, & ille
Ipsemet est. Audi, nam te vocat ille: *Maria*.
Jamque quater decies revoluto præpete cælum
Axe, diem nocti alternans iteraverat ortus,
Et fulgore novo, & solito formosior ibat
Aureus, & medium Sol jam pulsabat Olympum,
(*c*)Cum montem, prope *Bethaniam* (radicibus illa
Hærebat) densæ dederant cui nomen olivæ,
Conscendit jamjam in cælum ascensurus Jesus.
Non fragor hic, aut horrifico stridore rotarum
Flammigeræ e cælo lapsæ, aeriæve quadrigæ.
Nullum vult circum se ire horroremve, metumve:
Nulli hic quos vinctos ad currum duceret hostes.
(*d*) Ipse sua innixus virtute (videntibus illis;

Qui

(a) *Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt eum: & ipse evanuit ex oculis eorum*. Luc. 24. v. 31.

(b) *Dicit ei Jesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, ut & ego eum tollam. Dicit ei Jesus: Maria*. Joa. 20. v. 15. & 16.

(c) *A monte qui vocatur Oliveti*. Act. 1. v. 12.

(d) *Videntibus illis elevatus est*. Act. 1. v. 9. *Amictus lumine, sicut vestimento*. Ps. 103. v. 2.

Qui fidi adstabant comites cum Virgine Matre ;
Sese magnifice sublimis in aera tollens,
Dulcique, ac placido circum undique lumine cinctus
Provehitur sursum. Qualis vada nota *Caystri*
Linquens ; se pedetentim effert, atque ardua blande
Nubila tranat *Olor*, niveas neque commovet alas.
I decus, i nostrum : excelsi ad fastigia cæli
(*a*)Exaltare : sede a dextris Patris Omnipotentis.
Filius, atque hæres voluisti tu quoque bello
vincere ; vicisti. I Victor, conscende, triumpha,
(*b*)Quæque manu meruisti etiam cape debita regna.
Ibat jam ; sed enim cui postremo institit ille
(*c*)Tunc sensit, nunc servat adhuc vestigia saxum.
Fortunata silex ! ergo tua tuta manebunt
Munera, nec geminanda olim pia furta nocebunt :
Nec cælo prohiberi unquam, nec fornice tecti
Includi patiere : quasi & consurgere velles,
Molirique viam sursum, quaque ivit, & ire
Tu quoque, & usque sequi quæ fers vestigia Jesu.
Surgenti collesque cavi, montesque profundi
Demisere caput, pictosque repente tapetas
Explicuere, boant plausu, fremituque resultant.
Aer ut venientem aspexit, sternitur ultro,
Alternansque vices, subtus refluitque, fluitque
Panchæis madidas perfusus odoribus alas.
Tum nubem jubet ire, thronumque effingere Regi
Umbriferum : præpes volat illa, & candida pennas
Ex-

(a) *Exaltare Domine in virtute tua*. Ps. 20. v. ult. *Sede a dextris meis*. Ps. 109. v. 1. & ad Hebr. 1. 13.

(b) *Quis est iste Rex gloriæ ? Dominus fortis, & potens : Dominus potens in prælio ... Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ*. Ps. 23. v. 8. & 10.

(c) Vide Bened. XIV. in festo Ascen.

(a)Expandens, varieque interlita murice, & auro,
Provocat Auroram, formosam despicit Irim,
Ardentem magni aspernatur lampada Solis.
Interea pandi, totumque occurrere cælum
(b)Obviam, & altisono Aligeri clangore tubarum
Victorem excipere, & cantu, fidibusque canoris
Acclamare. Illum mox ut videre propinquum;
(c)Procumbunt humiles coram, Regemque fatentur
Esse suum, Regem magno clamore salutant,
Pronique in vultus omnes illum Angeli adorant.
Tum Patrum veneranda manus, sanctusque senatus,
In libertatem, divino vindice, ab umbris
Infernis nuper superas adductus in auras,
Immensos rumpunt plausus, & carmina cantant,
Quæ sceptro insignis Vates, citharaque præibat:
Vos o cælorum vigiles, Custodia sancta,
Hactenus obstructas aperite, & pandite portas.
Ecce triumphalis Rex vester, millia secum
[d]Haud pridem captiva, magis captiva reducens.
(e)Ipse suo ascendit conspersus sanguine Victor.
(f) Sanguine qui Regem tenebrarum, & regna profunda
Debellavit, & æternas, arctasque catenas
Comminuit, vinctisque viam patefecit Olympi:
Pandite jam, vestrasque attollite cardine portas.
Hunc iterant illi pæana, aliosque subinde,
Hu-

(a) *Nubes suscepit eum*. Act. 1. v. 9. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. Ps. 103. v. 3.
(b) *Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ*. Ps. 46.
(c) *Profectus in cælum subjectis sibi Angelis, & Potestatibus, & virtutibus*. 1. Petr. 3. v. ult. *Adorent eum omnes Angeli ejus*. Ps. 96. v. 8. & ad Hebr. 2. v. 6.
(d) *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem*. Ad Eph. 4. v. 8.
(e) *Vestitus erat veste aspersa sanguine*. Apoc. 19. vers. 13.
(f) *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ*. Ad Coloss. 1. v. 13.

Humano includi nequeunt qui carmine cantus.
Qui Pater humani generis, nos perdidit omnes,
Ibat *Adam*, attonito similis, genibusque volutus
Vulneribus pedum inhærebat: non inde moveri,
Non inde avelli poterat; sed flebat inhærens
Osculo, & effuso crescebant gaudia fletu:
Et quamquam meminit morsu uno, seque, suosque,
Et genus horrenda humanum involvisse ruina;
Audet, &: O, inquit, felix, o culpa beata,
Quæ tam divino mæruit sic vindice tolli!
(*a*)Meme en qui feci. Quorsum tu vulnera portas?
Adsum qui merui: tua tu in me vulnera transfer.
Sed quis ego? Pretiosa tibi tua vulnera serva:
(*b*) Esse necesse tua est, tanta ut mea crimina tollant.
Hæc ille: & longo processerat ordine pompa
Augusta, & cælum jam tandem intraverat agmen:
Illam nempe urbem sanctam, quo tendere nisu
(*c*)Non vox, non oculi, non ipsa silentia possunt.

SACERDOS.

Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.
Ps. 109. v. 4. Ad Hebr. 6. v. 6. & 7. v. 17.

CARMEN XXXIX.

[*d*] Constabilita salus nostra est: consedit, habemus
Pontificem cælo excelso, a dextrisque sedentem
Pa-

(a) *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Zach. 13. v. 6.

(b) *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. 1. ad Cor. 15. v. 25.

(c) *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus his qui diligunt illum*. 1. ad Cor. 2. v. 6.

[d] *Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis*; ad Hebr. 8. v. 1. *Introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa*. ad Hebr. 9. v. 12.

Patris. Discissum velum est, quo *Sancta* latebant
Sanctorum, patuitque adytum: nobisque praeivit,
(*a*)Explicuitque viam, sedemque, locumque paravit,
Qui prior intravit magnus, summusque Sacerdos.
Restituit postliminio, qui nuper eramus
Nativa generis macula, pœnaque Parentum,
Perpetuo exilio ejecti, cæloque repulsi.
Etsi est ille Deus, Divini & Patris imago;
Submitti tamen, atque humano corpore tectus
(*b*)Patre minor dici voluit, Patrique subesse.
Sin minus haud poterat pro nobis munere fungi
Pontificis, supplexque Deum implorare precando.
Consimilis nobis factus, tanquam nihil esset
Præquam nos: nihil erubuit (dignatio mira!)
(*c*)Dicere nos *Fratres*, & quod plus, dicere *Amicos*:
Atque ample officium, nomenque hoc implet utrumque:
Vult adeo tanquam *Sponsor*, fratrumque *Sacerdos*
(*d*)Ante Patrem sisti, causamque orare, palamque
Pro nobis medius Patris interponier iræ.
Sanctorum exemplar cum sit, Sanctusque perinde
(*e*)Ac Deus (horresco reputans) sibi crimina nostra
(*f*)Adscribi est passus, neque detrectavit haberi

[a] *Præcursor pro nobis introivit Jesus*. ad Hebr. 6. v. ult. *Vado parare vobis locum*. Joa. 14. v. 2.

(b) *Pater major me est*. Ibid. v. 28.

[c] *Non confunditur fratres eos vocare*. ad Hebr. 2. v. 11. *Vos autem dixi Amicos* Joa. 15. v. 15.

(d) *Ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*. ad Hebr. 9. v. 24. *Mediator Dei & hominum Christus Jesus*. 1. ad Tim. 2. v. 5. *Interpellat pro nobis*. ad Rom. 8. v. 34. & Jer. 18. v. 20.

(e) *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. ad Col. 2. v. 7.

[f] *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum*. Isa. 53. v. 6. *Longe a salute mea verba delictorum meorum*. Ps. 21. v. 1.

Ut ſua. Peccatum qui nullum noverat, ultro
Fit reus: & ſcelerum noſtrorum pondere onuſtus,
(*a*)Angitur, obruitur, conſternaturque pudore.
Hinc Pater, & medium hinc homines urgentque premuntq.
(*b*)Vindictam expoſcit juſtam Pater, ac ſibi reddi
Quos defraudavit, quos crimen ademit honores.
Contra homines planctu mœſti, gemituque precantes,
Ignoſci tandem poſcunt ſibi: ſeque tuentur
(*c*)Sponſore, objiciuntque illum, ſolumque relinquunt.
Quid faciat? nunquid ritus, moreſque ſacrorum
Antiquos repetens, profuſo ſanguine adoret
Agnorum Dominum? tauroſve, aut immolet hircos
Ante aras? Quorſum vero hæc? Num mandere carnes
(*d*)Taurorum Dominus? Caprorum aut ſanguine paſci?
[*e*]Infirma hæc fuerant, & egena elementa, figura,
Umbra futurorum. De ſe, nihil illa juvabant,
(*f*)Nec poterant placuiſſe Deo, aut mortalibus ægris
[*g*]Porgere opem, noſtriſque malis, morbiſque mederi.
Sed tamen hic opus eſt aliquam intercedere mortem:
Sanguine placandus Pater eſt. Hoc illa monebant
Quæ dedit *Hebræis* ſolemnia legifer Heros.
Omnino huc reſpectabat quantacunque cadebat
Victima, & effuſo tingebat ſanguine cultros:

Huc

---

[a] *Anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus*. Pſ. 142. v. 4. *Operuit confuſio faciem meam*. Pſ. 68. v. 8.

[b] *Ait Dominus . . . Vindicabor de inimicis meis*. Iſa. 1. v. 24. *Ubi eſt honor meus?* Malach. 1. v. 6.

(c) *Reſpice in faciem Chriſti tui*. Pſ. 83. v. 10. *Torcular calcavi ſolus*. Iſa. 63. v. 3.

(d) *Nunquid manducabo carnes taurorum; aut ſanguinem hircorum potabo*. Pſ. 33. v. 9.

(e) *Infirma, & egena elementa*. ad Gal. 4. v. 9. *Umbram habens lex futurorum bonorum*. ad Hebr. 10. v. 1.

[f] *Nec placida ſunt tibi quæ ſecundum legem offeruntur*. Ib. v. 8.

[g] *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata*. Ibid. v. 4.

Huc etiam quod & aspergi, infundique cruore
[a]Cuncta jubebantur: neque sine sanguine tergi
Utcunque admissas maculas lex illa sinebat.
Esto hoc. At quænam satis aut succurrere lapsis
Humanis? Aut quæ tandem, quæ victima tanta,
Propitiare Deum, parque exæquare valore,
Ac reparare queat Divini Patris honores?
Filius. Hoc equidem præsignificaverat olim
(b)Qui primus Pater *Isacidum* præ se sibi carum
Unigenitum, strue lignorum alti in vertice montis
(c)Subtus composita, ipse sua jugulare tremente
Dextera, & ut jussus, Domino mactare parabat.
Isac vero ultro gladium, mortemque subibat,
[d]Lignaque fert humeris, mera rursus imago futuri.
Sic nos dilexit Pater, ut qui fœdus iniret,
(e)Unigenam daret, ac mortem tolerare juberet.
Una salus miseris erat hæc, & reddere vitam
Mors sola hæc poterat: demta hac, spes nulla manebat.
Filius interea, qui victima, quique Sacerdos
Idem, mire ardet Divini jussa Parentis
Exsequi, & ultra etiam ferri, pretiumque salutem
[f]Humanam exundans dare, & exsuperare medendo.
Nonvult propterea facili, neque simplice fungi
Morte, & inhumanam magis, atrocemque præoptans;
Vult inimicorum invidiam, rabiemque furentum

(a) *Omnia pene in Sanguine secundum legem mundantur, & sine Sanguinis effusione non fit remissio*. ad Hebr. 9. v. 21 & 22.
(b) *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit, & gavisus est*. Joa. 8. v. 56.
(c) Gen. 22. v. 9. & 10.
(d) *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum*. Ibid. v. 6.
(e) *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. ad Rom. 8. v. 32. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Joa. 14. v. ult.
(f) *Copiosa apud eum redemptio*. Ps. 129. v. 7.

Excipere, atque suo large exsaturare cruore:
Carnificumque rapi manibus, truncoque cruentus
Pendens, exspirare animam, exhalareque vitam.
Hoc inter Patrem divino, interque gementes
[a]Mortales, pacis sancitum est sanguine fœdus,
[b]Extinctæque inimicitiæ, prorsusque peremtæ.
Et neque vult harum posthac meminisse: profunda,
(c)Grataque placatum subiere oblivia Patrem.
(d)Nosque cohæredes moriens, proprioque cruore
Filius instituit, testamentoque reliquit.
Anteit ipse, suæque volens proludere morti,
Qua tradendus erat nocte ipsa, antistat, & ultro
Semet sacrificat, quo ritu, atque ordine rerum,
[e]Aspiciens huc, pane Deo, vinoque litabat
Melchisedech, Rex idem hominum, excelsique Sacerdos.
(f)Dicitur hic (quod mirandum) sine matre fuisse,
Ac sine patre: illum sic jam clarissime adumbrans,
Qui sine matre fuit soboles altissima Patris,
Et sine patre fuit Soboles castissima Matris.
En cur *Thariades* magnus Pater ipse, minorem
(g)Se tamen agnorit, decimasque pependerit ultro

Mel-

(a) *Pacificans per Sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*. ad Coloss. 1. v. 20.

(b) *Interficiens inimicitias in semetipso*. ad Ephes. 2. v. 16.

(c) *Et peccatorum, & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius*. ad Hebr. 10. v. 17.

(d) *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus*. ad Heb. 7. v. 12. *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus*. ad Tit. 3. v. 7.

(e) *Melchisedech Rex Salem proferens panem, & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi*. Gen. 14. v. 18.

(f) *Sine patre, sine matre, sine genealogia . . . assimilatus autem Filio Dei*. ad Heb. 7. v. 3.

(g) *Intuemini autem quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha*. Ibid. v. 4. *Benedixit ei*. Gen. 14. v. 19. *Sine ulla autem contradictione quod minus est a meliore benedicitur*. ad Heb. 7. v. 7.

Melchisedecho, illum venerans, credensque daturum,
Se super extenta, cælestia munera dextra.
Quippe agnoscebat vel tunc in imagine Christum
Pontificem magnum, qui nunc sub imagine panis,
Hostia digna Deo est, & sacrificatur ad aras,
(*a*)Quacunque exoriens, moriensq., & utrosque recurrens
Antiquumque, novumque alium Sol aspicit Orbes.
Absunt carnifices hinc, flagitiumque, nefasque
Omne, cruentatæque manus, at victima prorsus
Est eadem, libanda Deo, absumendaque, quodam
Nunc etiam interitu, quodamque imitamine mortis
Pro nobis obitæ. Nam verba ab Sanguine corpus
Abjungunt, dirimuntque sono quæ sunt simul una,
Ut mortem memorent. Immo qui adstabat, eratque
Sub panis specie præsens; ibi vivere cessat,
Cum consumta fuit, superest neque panis imago.
Sic mortis meminisse suæ delectat Amantem,
Sæpeque pro nobis fieri hostia; sit licet usque
(*b*)Vivens, ac summus cælo, æternusque Sacerdos,

SPONSUS.

Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se.
Apoc. 19. v. 7.

CARMEN XL.

Nunc ego cælitibus vellem inseri, & ore profari
Non humano equidem; sed quo sublime canentes
Aligeri, Sponsum citharis, Agnumque sequuntur.
Argumentum ingens, & inenarrabile mentem,

(a) *Ab ortu enim Solis usque ad occasum ... & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Malach. 1. v. 11.
(b) *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*. ad Hebr. 7. v. 25. *sempiternum habet Sacerdotium*. Ibid. v. 24.

Omniaque humana exsuperat, cælestia poscit.
Non tamen interea tu, divinissime Sponse,
Despicies, aut humanæ aspernabere vocis
Munera, qui non cælituum, sed fœdera mavis
(a)Nostra, neque Aligerum stirpem, sobolemque beatam;
Sed nostram thalamo placuit tibi jungere gentem.
Balbutire igitur sine me hæc, patienter & audi
Si minus apta tibi, si te non digna loquamur;
Quando hæc culpa tua est, qui nos sine limite amasti:
Atque ea fecisti divino impulsus amore,
Quæ neque præpetibus quæ gens super æthera senis
Tendit iter pennis queat unquam æquare canendo,
Aut tacite rapida vi alarum æquare volando.
Quid nos? quæ dictavit Amor [dabis id quoque Amori]
Qualiacumque feres, quoniam nil possumus ultra:
Vel præi, & ipse mihi quæ cantem suggere ad aurem.
Ægra erat, & mœsta, & moribunda jacebat Adami
Progenies. Pater ipse manu, quo tristior esset
Mors, mortem excivit, lethaleque vulnus ad ima
Intulit. Extemplo illa almo spoliata decore,
Quem Deus indiderat, quo, cælo pulchrior ibat:
Viribus attenuata etiam, & caligine multa
Circumfusa oculis, intestinoque tumultu
[b]Turbida, dissociata sibi, atque ignara quietis,
Anxiaque, & mire macilenta, & squalida vultu,
Nil nisi funus erat, nisi victima debita morti.
Et tamen hanc sic afflictam miseratus ab alto
Progeniem Æterni Genitus, summoque Parenti
Par, sibi delegit Sposam, aspexitque benigne:
Et quam pertulerat magnam reparare ruinam,

Multa

(a) *Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Ad Hebr. 2. v. 26.
(b) *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Ad Rom. 7. v. 23.

(a)(Multæ opus impensæ, & multum, ingentemq. laborem
Sponso allaturum) moribundam & reddere vitæ,
(b)Absumptumque instaurare, atque augere decorem,
Connubiique arcto voluit sibi fœdere jungi.
Fama est: id simul ac Superis innotuit; omnes
Attonitorum instar, primo obstupuisse silentes.
Mox autem plerosque genu, vultuque profunde
Supplice adorasse, ac solvisse libenter honores
Divinos jam tum Sponsæ, plausumque dedisse
Immensum, quem vix cæli capere atria possent.
Dissensisse alios tamen, obsequiumque negasse
Pennatos forma juvenes, fastuque superbos,
Conclamasseque ad arma, atque auctorasse maniplos
Seditiosorum, ac bellum attentasse nefandum
In Patris Unigenam Sponsum, Sponsamque futuram.
Sed fama est etiam famæ huic contraria: nulli
Cælicolum arcanum hoc ingens patuisse, nec ulli
Compertum dum, cum cælo miscere tumultus
Conjuratæ ausæ, profligatæque phalanges.
Et fama hæc propior vero est, cui nescia falli
(c)Adstipulantur enim divina oracla, faventque:
Arcanum siquidem hoc ajunt multumque diuque
Delituisse, Dei procul alta mente repostum.
Sed tamen ipsi illi miseram qui vulnere prolem

(a) *Empti enim estis pretio magno*. 1. ad Cor. 6. v. ult. *Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis .. sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati*. 1. Pet. 1. v. 18. & 19. *Sub arbore malo suscitavi te*. Cant. 8. v. 25.

(b) *Concupiscet Rex decorem tuum*. Ps. 44. v. 12.

(c) *Dispensatio Sacramenti absconditi a sæculis in Deo .... ut innotescat Principatibus, & Potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis Sapientia Dei*. Ad Ephes. 3. v. 9. & 10. *Mysterium, quod absconditum fuit a sæculis, & generationibus*. Ad Coloss. 1. v. 26.

(*a*)Straverat, obſcure ſpes hæc eſt magna Parenti
Indita, cum ſcelus horreſcens; quæ fecerat ipſe
Imprudens, flebat mœrens mox funera Natæ.
Aſt ut tanta capi poterat vix pectore; ſæpe
Confirmanda fuit, ſpesque hæc iteranda ſalutis.
Propterea hanc uno vates concorditer ore
[*b*]Omnes, hanc itidem tantum ſpem magna fovebant
Portenta, & variæ, varioque colore figuræ.
Quæ longo poſt intervallo deinde futura;
Non ſecus ac tranſacta forent, Oracla canebant.
Ergo ut facta fides, vulgataque fama per orbem;
Pronubus ætherea celer eſt tum miſſus ab arce
Nuntius, & mora nulla, ſimul delapſus ab alto
(*c*)Sponſus, & egreſſus ſummi de vertice cæli,
Virgineo exceptus thalamo eſt: inibique recumbens,
Virgineoque iterum, ſanctoque, & cælibe nexu,
Atque infinito Sponſam obligat, arctat amore.
(*d*)Subjicit & lævam capiti, dextraque volentem
Adſtringit, nunquam ſolvendo poſtea vinclo:
Milleque blanditias meditatur, & ingerit auri.
Quidquid in humanis dulce eſt, & ſuave, & amoris
Plenius, ingeminat, reſonatque uxorius, ore
Arcano incluſit *Salomon* quæ carmina cantu.
(*e*)Quam tum pulchra es amica mea & tota undiq., pulchra,
Et

[a] *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum*. Gen. 3. v. 15. *Hæc illum, qui primus formatus eſt a Deo pater orbis terrarum . . . cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo*. Sap. 10: v. 1. & 2.

[b] *Et incipiens a Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipſo erant*. Luc. 24. v. 27. *Omnia in figura contingebant illis*. 1. ad Cor. 10. v. 11.

(c) *A ſummo cælo egreſſio ejus*. Pſ. 18. v. 7.

(d) *Leva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Cant. 8. v. 3.

(e) *Quam pulcra es amica mea, quam pulcra es!* Cant. 4. v. 1.

Et speciosa! in deliciis charissima tu mi!
[a]Labra tua instar coccineæ, instar murice tinctæ
Vittæ: instarque ovium, nuper quæ fonte lavabant,
Sunt tibi candiduli, densique æquo ordine dentes.
(b)Nectare apum gratum magis, *Hybleoque* liquore
Mel tibi distillat labiis, lac ore redundat.
Quacumque ingrederis, tactu quos vestibus indis,
Ambrosiæ circum, spiras & thuris odores.
Nil tam suave sinu quidquam gestaverit hortus.
(c)Statura ut palma assurgis: collum eminet alte,
Turritumque imitatur ebur candore, nitore.
(d)Uno oculorum equidem, uno & rursum crine tuorum
Non medicanda meo fixisti vulnera cordi.
(e)Ah! diverte oculos a me jam, alioque revolve:
Namque coegerunt illi me excedere mente.
Talia voce refert, humano & more loquutus,
Sic Sponsæ Sponsus blanditur: terque, quaterque
(f)Et *Sponsam* vocat, & rursum vocat ille *Sororem*.
Usque adeo Sponsæ est, nostrique per omnia factus
(g)Consimilis! Sic ille oculos, sic ora, manusque,

Sic

---

1. *Tota pulcra es amica mea*. Ib. v. 7. *Quam pulcra es: & quam decora charissima in deliciis*. Cant. 7. v. 6.

(a) *Sicut vitta coccinea labia tua*. Ibid. v. 3. *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro*. Ibid. v. 2.

(b) *Favus distillans labia tua, mel, & lac sub lingua tua: & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa*. Cant. 4. v. 11. & 12.

[c] *Statura tua assimilata est palmæ*. Cant. 7. v. 7. *Collum tuum sicut turris eburnea*. Ibid. v. 4.

(d) *Vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui*. Cant. 4. v. 9.

(e) *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt*. Cant. 6. v. 4.

(f) *Soror mea Sponsa*. Cant. 4. v. 9. & 10. & 12.

(g) *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Ad Philip. 2. v. 7.

Sic Immortalis mortalia cuncta ferebat
(a) Præ se! Invisibilis potuit jam deinde videri,
Tractarique manu, tangique & frigore, & æstu,
(b) Atque fatigari, sitiensque exposcere lymphas:
Et cibi egere, instar nostri, atque accumbere mensis:
Moreque nostro, oculos etiam submittere somno
Divinos. Tandem, nequid mortale deesset,
(c) Mortuus est: Animam, Corpus divisit utrinque
Falce sua Mors. At Sponsi connubia sancta,
Vinculaque, & nexus, & fœdera rumpere amoris
(d) Haud potuit Mors ipsa quidem: mansere, perinde
Ac fuerant, innexa arcte, Sponsamque nec ipsa
Morte ab se est dirimi passus, neque morte revelli.
Nec vero æthereas iterum ascensurus ad arces,
Intervallo aliquo Sponsam abstrahit, aut jubet ire
(e) Post se. Majestate pari conscendit, & ultra
Culmina, stellantisque ultra fastigia Olympi
Sublimis, suffulta humeris, pennisque *Cherubin*,
Ad Patris assidit dextram, regnatque Supremo
Cum Sponso imperio, solioque recumbit eodem,
Regifico superinduta, ac circumdata cultu.
Tu quoque, Sancta *Sion*, tibi Sponsæ accinge paratus;
Tu

(a) *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Bar. 3. v. ult. *Quod prospeximus, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*. 1. Joa. 1. v. 1.

(b) *Fatigatus . . . Sedebat . . . Da mihi bibere*. Joa. 4. v. 6. & 7. *Venit Filius hominis manducans, & bibens*. Luc. 7. v. 34. *Ipse vero dormiebat*. Matth. 8. v. 24.

(c) *Christus mortuus est*. 1. ad Cor. 15. v. 3. *Emisit spiritum*. Matth. 27. v. 50.

(d) *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*. Cant. 1. v. 12.

(e) *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum*. Cant. 8. v. 5. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Ps. 44. v. 1.

(a)Tu quoque Sponsa fide Sponso es: procul abjice luctus:
(b)Excute jam tandem mœrorem, exporrige frontem:
Solveque captivo pendentia vincula collo.
(c)Surge age, neu mœstis te tu jam deinde tenebris
Occule. Lux Domini super in te effusa refulsit:
Proripe te, præferque manu, portendeque lumen,
Quod Populi, Gentesque omnes, Regesque sequantur.
(d)Volve, revolve tuos oculos circum undique quantus
Undique concursus fiat, circumspice. At isti
Venerunt omnes ultro tibi: & en tua proles
Sunt hi, tuque Parentes, Genitrixque eris omnibus una.
(e)Lætare o! sterilis quondam, infœcundaque, & orba
Sola domo mœrens vacua; nunc jam pia Mater
Confertam sobolem, Sanctorumque agmina ducens.
Haud totidem illuni surgunt radiantia nocte
(f)Sidera, quot video excelsa procedere pompa
Millia Sanctorum. Qui sunt hi, qui agmina ducunt
Bis seni numero? Pedibus talaria nectunt,
(g)Vincuntque & nubes, zephyrosque, & fulmina cursu,
Et

(a) *Elegit Dominus Sion*. Ps. 131. v. 23. *Sponsabo te mihi in fide*. Oseæ 2. v. 20.

(b) *Excutere de pulvere, consurge: sede Jerusalem, solve vincula colli tui captiva filia Sion*. Isa. 53. v. 2.

(c) *Surge illuminare Jerusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui:*

(d) *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt venerunt tibi: filii tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere surgent*. Isa. 60. v. 1. & 3. & 4.

(e) *Lætare sterilis . . . erumpe, & clama . . . quia multi filii desertæ magis quam ejus quæ habet virum*. Ad Gal. 4. v. 47. & Isa. 54. v. 1.

[f] *Suspice cælum, & numera stellas si potes . . . . sic erit semen tuum*. Gen. 15. v. 5.

[g] *Qui sunt hi, qui ut nubes volant?* Isa. 6. v. 8. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Ps. 18. v. 5. & ad Rom. 10. v. 18.

Et resona vincunt, superantque tonitrua voce:
Aspice dein, neque enim fas est numerare, sequentes
Heroas, immortali qui tempora cingunt
Lauro, quique suo alte imbutas sanguine palmas
Præcelsas manibus gestant, eaque arma cruenta,
Queis laceri, augusto mortem occubuere triumpho.
Succedunt his innumeri, quibus aurea pendens
Vertice, per canos dimittitur infula crines.
Hi sunt Pastores magni; virtuteque fulti
Præcedunt, ducuntque gregem, pascuntque, reguntque.
Deinde Sacerdotum sequitur chorus almus: & ipsi
Pastorum vice funguntur, partemque laboris
Sortiti; erudiunt Populos, & mistica Sponsi
Dona ferunt, ac thura adolent, & carmina cantant.
His intermixti incedunt qui lampada dextris
Desuper immisso fulgentem lumine monstrant,
Et sparsas circum tenebras terrentque, fugantque:
Ostenduntque viam ignaris, quæ ducit ad astra
Angustam, & clamant alte, errantesque reducunt.
Ecce autem major, majorque frequentia circum
Sanctorum! cælo hos credas, non ducere vitam
Mortalem terris: adeo mortalia cuncta
Despiciunt, ac mente Deum, cælumque reposcunt.
Mire disparilis vita est: spelæa ferarum,
Speluncasque habitant illi, nemorumque recessus
Sepositos magis: hi communi tramite, vitam
Urbibus in medijs degunt, portantque coronam
Interdum, sceptrumque manu; sed corde, perinde
[a]Ac illi, hæc aspernantur, seseque coercent
Assidue, pariterque crucem amplectuntur, amantque:
Crux illis, quoniam Sponsi est, est sola voluptas.

En

(a) *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut cora, ſter ut Christum lucrifaciam*. Ad Philip. 3. v. 8.

(a)En quot eunt forma egregiæ, innuptæque puellæ.
Virgineique chori! Bellum cum carne gerendum
Suscipiunt, bello & vincunt, commixtaque palmis
Prætendunt manibus, nectuntque & lilia fronti:
Et quem divinum de vertice fundit odorem
Sponsus adorantes, properant, avideque sequuntur.
Adjungunt sese his comites gravitate verendæ
Matronæ, quæ sancte olim socialia jura,
Sanctius & vidui servant divortia lecti.
Defixæ cælo cælestia pabula mente
Volvunt, & densa miserorum, inopumque corona
Stipatæ, cunctis Matres se munere præstant.
Accedunt itidem, quas cæcus, & improbus olim
Illaqueavit Amor; sed enim fregere catenas
Indignabundæ, atque infandam pectore pestem
Amolitæ; ab sese ipsæ exegere cruentas
Peccati pœnas, longoque cupidinis æstus
[b]Fletu extinxerunt. Mirum est quam castus adurat
Fervor! divinus quantus successerit ardor!
His vero, his tandem tu Mater es omnibus una:
Nec tu jam poteris prolem enumerare tuorum.
Concipe quam poteris spem magnam; spem tamen ultra
Advenient inopina tibi, insperataque surgent
Implebuntque tuum Matris nova gaudia pectus.
Namque mari & spatio immenso procul usque remotas,
Et longe orbe alio positas, ubi posse negabant
Mortales habitare, ubi cuncta ardere putabant,
Torrida propterea male credita, dictaque *zona*

Illinc

(a) *Adolescentule dilexerunt te .... curremus in odorem unguentorum tuorum*. Cant. 1. v. 2. & 3.

(b) *Mulier in civitate peccatrix ... Lacrimis cœpit rigare pedes ejus*. Luc. 7. v. 37. & 38. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Ibid. v. 47.

[a]Illinc omnino innumeras mirabere gentes
Accelerare gradum, concurrereque undique, & aurum
Argentum, tibi calcandum, cumulare libenter,
Teque unam expetere, & certatim exquirere Matrem.
Jam quicumque Dei, tuus hic quoque filius idem
Semper erit, semperque tuum, ceu parvulus infans,
Lac bibet, atque tuo pendebit ab ubere semper:
Aspernans, horrensque etiam quod adultera porget
Æmula, clam furtum, clamque abs te abducere tentans
Natos. Quos autem meretrix hæc subdola fraude
Involvet, gremioque tuo divellet; eosdem
(b)Exitio dabit, & morti. Velut Arca *Noemi*
Perfugium nobis sola es tu; cætera pontus
Occupat, indubiamque intentant omnia mortem.
[c]Cælestis claves Regni tibi Sponsus habendas
Obtulit: obstructasque olim, nullique patentes
Aut reserare palam, aut iterum præcludere portas,
Et prohibere aditu, tibi soli est facta potestas.
Gaude, sancta Sion, divina, & Sponsa, Parensque.
(d)Sponsus erit semper tecum, neque deinde relinquet,
Te neque destituet, donec labentia cælo
Ibunt, & neque dum sistent vaga sidera cursum.

VIR-

(a) *Mirabitur, & dilatabitur cor tuum quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Me enim insulæ expectant, & naves maris, in principio, ut adducam filios tuos de longe: argentum eorum, & aurum eorum cum eis nomini Dei tui*. Isa. 60. v. 5. & 9.

(b) 1. Petri 3. v. 10.

(c) *Tibi dabo claves regni cælorum*. Matth. 16. v. 19.

(d) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Matth. c. ult. v. ult.

VIRTUS EX ALTO.

Sedete in civitate, quoaduſque induamini virtute ex alto. Lucæ 24. v. 49.

CARMEN XLI.

POſtquam ab olivarum extollens ſe monte, volucri
Nube ſedens, debellata de Morte triumphum
Victor agens, ſuper aſtra redux conſcendit Jeſus:
Cum jam fruſtra oculis illum ſequerentur euntem
Diſcipuli, oppoſita invidioſa nube, & ab alto
[*a*]Nuntius ulterius vetuiſſet ſtare tuendo
In cælum; inceſſu tardi, invitique reverſi
Ad *Solymam*, flebant. Ceu cum trans nubila longe
Alituum Regina abiit, quos forte reliquit
Implumes nido pulli pipiuntque, gemuntque
Irrequieti, unaque alte capita exſertantes,
Qua poſſunt, oculis Matrem, gemituque ſequuntur.
Omnibus idem animus: ſecreto, & paupere tecto
Incluſi, procul humanarum turbine rerum,
Quæ jam diſcedens dederat, promiſſa Magiſtri
Volvebant memores, expectabantque beata
(*b*)Munera: & unanimes geminabant vota, preceſque:
Sancte veni, Dia Aura veni, Dia, altaque Virtus
Influe. Et interea bis quinque exegerat orbes
Lux, & tunc ibat placido nitidiſſima vultu
Per ſudum. Ecce autem ruere omnia viſa repente,
[*c*] Vaſtuſque audiri fragor, Ut cum, turbine rupto,
Fron-

(a) *Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt juxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cælum?* Act. 1. v. 1.

(b) *Erant perſeverantes unanimiter in oratione.* Ibid. v. 14.

[c] *Factus eſt repente de cælo ſonus tanquam advenientis ſpiritus vehementis, & replevit totam domum ubi erant ſedentes.* Act. 2. v. 2.

Frontibus adversis *Boreasque*, *Notusque* protervi
Confligunt, imisque ruunt radicibus ornos.
Contremuere domus sanctæ penetralia, totum
Axe suo abruptum credas descendere cælum.
Sed majus quid erat: nam descendebat Olympo
(a)Aura potens, Amor Omnipotens, Vigor omnia complens,
Ipse Deus, Deus ipse, Deus, Genitoque, Patrique
Compar, & amborum communis mutuus ardor,
Majestate unus, septemplice munere dives
Spiritus. Æthereo simul una vertice visus
Cum sonitu irrumpens descendere flammeus imber,
(b)Et superincubuisse: in linguas diditus aureas,
Multifidusque illis supra caput adstitit ignis:
Lambebatque comas blanda, atque innoxia tactu
Flamma; alte tamen immiscens se, imisque medullis
Insinuans, afflansque animis, membrisque vigorem
Arcanum, insolitum, divinum. Quos modo segnes
Omnes terrebant auræ, pavidique tremebant
Unius ad vocem ancillæ; jam Numine tacti
In gladios, mortemque ruunt: mortalia cuncta
Spernunt: extinctumque Ducem, atque a morte reductum
Magnifico ore tonant, regeruntque e pectore flammas
Ardentes, ignem spirant, incendia vibrant,
Nec mortale sonant, Deus insidet, ignis anhelat.
Annua tum *Solymis* aderant solemnia, & ingens
Undique visendi studio concursus ad urbem
Sanctam diversis acciti ab sedibus orbis,
(c)Qua qua stelliferum premit, ambit & omnia cælum.
Illac & gens *Isacidum* confluxerat omnis,

Li-

(a) *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* : Sap. 1. v. 7.
(b) *Et apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum*. Act. 2. v. 3. *Spiritus Sanctus dabat eloqui illis*. v. 4.
(c) *Ex omni natione, quæ sub cælo est*. Act. 2. v. 5.

Litore ab extremo maris; & *Jordanis* utraque
Ripa, abque excelſis *Libano*, *Hermonioque*, *Thaborque*.
Illac & clari bello, celereſque ſagitta
[a]*Parthi*: Orbiſque olim imperio, & virtute feroces
Et *Medi*, & *Perſæ*, hi *Cyro*, illi *Arbace* ſuperbi.
Qui *Tigrim*, *Euphratemque* bibunt, lateque patentes
Inter utrumque colunt campos, ubi barbara moles
Tollere in aſtra caput, cælumque laceſſere fronte
Auſa; peregrinas improviſo intulit Orbi
Linguas, & linguæ unanimis conſortia ſecum
Obruit, & ſecum tulit, afflixitque ruina.
Et quos *Thermodon*, tumiduſque interluit *Iris*:
Quos & *Sangarius*, rigat & quos amne *Caycus*:
Et quos tortilibus *Mæander* circumit undis,
Retro etiam auſcultans quos margine parit *olores*.
Quique tuas tondent felix *Pamphylia* ſilvas,
Unde iter ingrediens immenſum maximus Orbis
Mons, alte incedit protendens brachia *Taurus*.
Et quibus ignotus venientis ab æthere teli
Terror, & horrifico, ſaxoſoque agmine grando,
Eliſuſque ruens torvis e nubibus imber,
Uno contenti *Nilo*, ſemperque ſereno
Cælo: & qui terram jam tum ſcindebat aratro,
Qua ſteterant olim victæ *Carthaginis* arces;
Vix jam ſtramineis habitata mapalia tectis.
Et quos ubere alit læto celeberrima centum
Urbibus, immitti & *Rhadamanto Gnoſſia* tellus:
Terrarumque Orbis domini, rerumque potentes
Romani, & *Cyrenenſes*, pictique *Sabæi*,
Diverſi linguis, habituque, & moribus omnes.

(a) *Parthi*, *& Medi*, *Ælamitæ*, *& qui habitant Meſopotamiam*, *Judæam*, *& Cappodociam*, *Pontum*, *& Aſiam*, *Phrigiam*, *& Pamphiliam*, *Ægyptum*, *& partes Libyæ*, *quæ eſt circa Cyrenem*, *& advenæ Romani*... *Cretes*, *& Arabes audivimus eos lequentes noſtris linguis magnalia Dei*. Ib. v. 9. &c.

Et tamen ut cœpere loqui, & magno ore tonare
Bis seni illi homines; eadem vox, & sonus idem
Jam non idem, alias (mirum!) totidemque sonabat
(a)Linguas, quot varias allabebatur ad aures.
Ut solet in templis quæ centum surgit ahenis
Machina arundinibus, variaque, & dispare canna,
Tot variare sonos, dulces tot rumpere voces,
Quot stant, quot circum sunt spiramenta, tubique,
Qua possit veniens prorumpere desuper aura.
(b)Quisque videbatur patrio sermone loquentes
Audire, & magna circumcingente corona,
Attoniti auscultabant, attonitique silebant
Alte, & adorabant jam tum longo ordine gentes
Omnes ad palum confixum nuper Jesum:
(c)*Quocum*, bis seni hæc, *nos manducavimus ipsi*,
Et bibimus, postquam devicta morte trophæum
Extulit, infernis rediens redivivus ab umbris
(d)Magni instar tonitru, vox hæc audita per omnes
Qua sese extremos in fines porrigit Orbis.
Exin Relligio, te, Spiritus alme, fovente
Intus, & afflante ex alto, omnipotentibus auris
Advecta invaluit, totoque increbuit Orbe.
Teque ideo plena passim veneramur acerra,
Teque Sacerdotes casti, populique frequentes
Assiduo cantu celebramus, & ore ciemus.
Nunc quoque Sancte veni, sanctisque ardoribus Orbem
Usque senescentem, lapidosaque, & algida corda
Ure: opus ipse tuum instaura, & tua numina firma.

En

(a) *Cæperunt loqui variis linguis*. Act. 2. v. 3.

(b) *Audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, & mirabantur*. Act. 2. v. 6. & 7.

(c) *Nobis, qui manducabimus, & bibimus cum illo post quam resurrexit a mortuis*. Act. 10. v. 41.

(d) *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: Ps. 18. v. 6.

En contempta jacet, digitoque notata protervo
Relligio! Descende, veni, compesce furentes,
Insanosque ausus, tonitruque, & fulmine vindex
(a)Irrue. Vel potius (neque enim vis perdere tu nos):
Exsere divinum, blandum jubar, exsere lumen
Vitale, & ritu roris descende, benignusque
(b)Ad meliora voca, & tacitus fera pectora molli.
Me quoque, quando adeo pius es, nil tale merentem
Desuper irrora. Quin totum concute pectus
Igne tuo, atque tuis imple præcordia flammis.

RELIGIO VICTRIX.

Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Matth. 16. v. 18.

CARMEN XLII.

VIx orta, interitum, & tragicam subitura ruinam;
Nec dominatura, aut unquam vulganda per Orbem
Esse videbatur, Christus quam sanxit Jesus,
Relligio. Nova vult credi Mysteria, necdum
Hactenus audita, & pretergredientia longe
Quamlibet excelsæ humanæ fastigia mentis.
Edicit *Patrem*, & *Genitum*, & quem spirat uterque
Tres esse; & tamen hos tres unum, ac prorsus eundem
Esse Deum. Huncmet, qui *Patri* est par *Filius*, alte
Prædicat esse Hominem factum, nulloque virili
Complexu, intacta, & sancta de Virgine natum:
Sponteque pro nobis; qua non deformior ulla,
Aut odiosa magis voluisse occumbere morte.
Mox autem eversorem *Erebi*, *Mortisque*, triumpho

R 2 Su-

(a) *Non enim delectaris in perditionibus nostris*. Tob. 3. v. 22.
(b) *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri: & auferem cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum*. Ezech. 36. v. 26.

Sublimi invectum redivivum ad luminis auras:
Cælique excelsa ascendisse, thronoque sedere,
Divino æqualem Patri, & stipante corona
Sanctorum, rediturum iterum: ut dijudicet Orbem;
Præmiaque & pœnas, utravis sine fine futura
In luce, inque oculis hominum quotcunque fuerunt,
Sunt, & erunt, statuat justus, Judexque supremus.
Quippe tubæ clangore, imis commota sepulchris
Ossa animabuntur rursus, cineresque coibunt
Pristina quæ fuerant reparati in corpora. Qualis
Aridus, enectus glaciali frigore truncus,
Fronde iterum novus exsurgit, rursumque virescit.
Adjicit his arcana magis, magis invia nostris
Sensibus, & credit: simul ac rata verba Sacerdos
Murmurat; orbiculum Cereris, vitisque liquorem,
Quem manibus tenuit perimi, ad nihilumque revolvi:
Nec superesse aliud, nisi quæ nos ludit imago
Panis: & hoc velo, ac specie, vinique latere
Verum Hominem, verumque Deum, qui crimina lavit
Sanguine nostra suo: atque hæc exemplaria mortis
Pro nobis obitæ, divinaque fercula, robur
Vitæ hujus miseræ eximium, pignusque beatæ
Semper, & angorum ignaræ, mortisque futuræ,
Immensique sui monumenta reliquit amoris.
Quantumcunque hæc excellant superedita sensus
Omnes, & nostræ captum, & conamina mentis;
Ast Auctori illi, dictis qui immobilis unus,
Unus & est, qui nec falli, neque fallere norit,
(a)Innituntur, habent immobile firmamentum.
Talis nostra *Fides*. Quid *Lex?* contraria rursus
Sensibus, austera aspectu, assidueque coercens
Assultus animi, morbosque propagine nobis

(a) *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*. Ad Hebr. 6. v. 18.

Ingenitos, queis ignavi fuccumbimus ultro.
Scalpturit, atque animum rapit, illaqueatque volentem
Terrigenis geniale malum infidiofa *Voluptas*,
Et dulci mixtum propinat melle venenum.
[*a*]Tabida depafcit fenfim, abfumitque medullas
Succeffu alterius mœftiffima, nubila fronte,
Torva fupercilio femper, rabiemque colorans
Falfo obtentu aliquo *Invidia*. Impatientior *Ira*
Horrendum tonat ore: oculis quoque fulminat, ardet:
Vindictamque atrox, & cædem fpirat: anhelat
Carnificinam. Addit germana *Superbia* utrifque
Vires, & ftimulat magis, impellitque furentes.
Pigrior, atque adeo diuturnior incubat, uncos
Diffimulans ungues, ignominiamque nefandam,
Quam nunc vulgo homines deteftanturque, foventque
Auri facra fames, fitis haud exemptilis auri.
His nihil indulget morbis fanctiffima Chrifti
Lex. Oculos etiam, fi forte libidinis æftu
Inflammati, alium qui nunquam extinguitur ignem,
Jugefque æterno accenfuri fomite flammas
Sunt (hunc omnino ut fceleratum averteret ufum,
Utitur hoc verbo afperiore) & luminis orbes
(*b*)Funditus extrudi, opportunum ait effe, jubetque.
Qua fe quifque amat; hac menfura, legeque amoris
Vult & amari alios: inftatque hoc, terque, quaterque
Mandatum hoc urget: jugulatque hoftilia monftra
Lege hac, *Invidiam*, atque *Odium*, nutrita venenis
Crimina, amaroris pleniffima, noxia cordi.
Si quando erupit; non vult occumbere Solem
(*c*)Quin deferbuerit, pacataque cefferit ira.

(a) *Putredo offium Invidia*. Prov. 14 v. 30.
(b) *Si ofculus tuus dexter fcandalizat te, erue eum & projice abs te*. Matth. 5. v. 29.
(c) *Sol non occidat fuper iracundiam veftram*. Ad Ephef. 4. v. 26.

Imperfecta etiam jubet, interruptaque linqui
Vota Deo; siquis cum vota imponeret aris,
Inferretque pius, meminit fortasse repente
Dissidii necdum sopiti. Huic vertere terga
(a)Mandat, & ire prius ruptam componere pacem.
Qui sibi grandescit tumidus, fierique recusat
Parvulus, atque infans tanquam si parvulus esset,
Submitti; cæli hunc aditu, portisque repellit.
(b)Angusta est, altum quæ porta adducit Olympum:
Nec capit inflatos, capit hæc neque porta superbos.
(c)Rursum divitibus cælum ægre, vixque patere,
Scansile vix cælum fore nuntiat. Aggravat aurum,
Pondereque ad terram prosternit. Proxius esse
Inquit; gibbosum angustari, perque meatum,
(d)Perque foramen acus adigi, & transire *Camelum*.
Ponit & ante oculos documentum horrore tremendum,
Immersi, ac barathro flammarum ardentis, aquai,
(e)Extremo digiti quæ pendet acumine guttam
Exiguam efflictim sine spe sitientis *Avari*.
Lurco hic dum vixit fuerat, foribusque jacentem
Ulceribus miserandum aspernabatur egenum:
Et quæ de mensa exciderant, canibusque dabantur,
Relliquias panis misero, micasque negabat,
Auget terrorem, & generaliter occinit illis
Væ

(a) *Relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo*. Matth. 5. v. 24.

(b) *Quam angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam!* Matth. 7. v. 14. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum*. Matth. 18. v. 3.

(c) *Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt*. Luc. 18. v. 24.

(d) Ibid. v. 25.

(e) *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam*. Luc. 16. v. 23.

(a)*Væ*, qui divitias, irritamenta malorum
Maxima, magnaque habent hujus solatia vitæ.
Intima præterea Lex hæc penetralia cordis
Ingreditur, desideriumque impune vagari
Haud finit: hoc etiam domat; infringitque severa.
(b)Alte illos damnat, quorum damnabile factum
Apparet nullum, atque extrinsecus omnia munda
Cum sint; obscœnas abscondunt pectore sordes,
Non secus; atque horrore intus, fœtoreque mortis
Plena, atque erosis, saniem stillantibus atram
Ossibus; extra autem albata, & speciosa sepulchra.
Ergone *Lex* adeo injucunda, inimicaque carni,
Hæccine *Lex*, hæc *Relligio* contendere cursu
Cum Sole? Ultra etiam Solis, metasque diei
Ire, & terrarum totum regnare per Orbem?
Nulla humana quidem capere, aut præsumere posset
Spes hoc. Hoc autem *Fidei* Auctor Christus Jesus
Nil dubitans præsignificat, faturque perinde,
(c)Ac si præterita de re jam, neque peracta
Colloqueretur. Erant sic jam perspecta, priusquam
Essent, sic & erant olim jam certa futura.
Undique consurgunt denso agmine, & undique diri
Conjurant *Solymis* hostes obsistere contra:
Nascentem & vix Relligionem extinguere cunis.
Christi Præcones illos, qui prima ferebant
Vexilla, & gentes Christi sub signa vocabant,

(a) *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram.* Luc. 6. v. 24.

(b) *Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa; intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia:* Matth. 23. v. 27.

(c) *Ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto Mundo.* Matth. 26. v. 13.

(*a*) Propositis terrent pœnis; ne deinde docere
Pergant, neve ausint laudando extollere nomen
Jesu: & verberibus, vinclisque, & carcere multant:
Despiciunt illi mortem, & tormenta, minasque:
Altius & vocem extollunt: & verbera, vincla
[*b*]Multa pati Jesu caussa, sibi gaudia ducunt.
Utque fidem faciant: se, quæ Mysteria narrant,
Quæ pandunt oracla, Deo aspirante profari;
Perpetuas rerum leges, stabilemque tenorem
(*c*)Naturæ ad libitum rumpunt, formidineque implent
Obtrectatores, portentisque omnia complent.
Adstabat coram quem *Petrus*, nomine Jesu,
Crure, & utroque pede interclusum Matris ab alvo,
Fecerat arrectum stare, & consistere plantis,
Et properare gradum, celeresque extendere cursus.
(*d*)Vellent; non poterant hæc tam manifesta negare
Signa, utcunque essent perfricta fronte nefandi
Pontifices. Ut fulgentem mœsta, improbaque odit,
Sed tamen agnoscit vel nolens *Noctua* lucem.
In medio *Solymorum* urbis, frendentibus ipsis,
Millia ter primum, mox & dein millia quinque
Turmatim Christi sunt castra, & signa sequuti.
(*e*)Plures inde alii, atque alii, quos magna trahebant

(a) *Comminemur eis, ne ultra loquantur in nomine hoc ulli hominum*. Act. 4. v. 17.

(b) *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Omni autem die non cessabant.. evangelizantes Christum Jesum*. Act. 5. v. 41. & 42.

(c) *Multa quoque prodigia, & signa per Apostolos in Jerusalem fiebant, & metus erat magnus in universis*. Act. 2. v. 43.

(d) *Hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere*. Act. 4. v. 14.

(e) *Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum, ita ut in plateas ejicecerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis*. Act. 5. v. 14. & 15.

Prodigia: Umbra etiam [quo nil neque fingere fas est
Magnificumve magis, magis aut mirabile] euntis
Qua vult cunque *Petri* dabat ægris umbra salutem.
Asportabantur milleni. Si modo quemquam
Sospita inumbrabat, siquem *Petri* umbra tegebat;
Hoc satis, hoc morbos omnes, mortemque fugabat.
Quo nullus fuerat Christo ante ardentior hostis
(a) De cælo *Saulus* vehementi luminis ictu
Tactus, & *Hebræa* subito caligine mentis
Pulsa, quæ tantas accenderat hactenus iras;
Antiquum infinito odium mutavit amore.
Continuoque inter Proceres, Fideique Magistros
Primores *Duodenorum* numero additus; instar
Fulminis, hac, illac rapidissimus ambiit Orbem,
Undique collectas ardens adsciscere Christo
Gentes. Plusque ipsis *Duodenis* omnibus, unus
(b) Nomen ob hoc ultro tulit, exhausitque laborum:
(c) Hi *Petrus*, *Paulus* Romanis arcibus, Orbem
Calcatum superinstructis, tumideque superbis
Alte elata Crucis, Christique insignia primi
Impavidi invexere; hostilibus undique cincti
Turmis, ac valide obluctantibus undique ventis.
Non prece, non genibus, neque dein jam thure colendus;
Quin *Capitolinis* procul exturbandus ab aris
Tandem erat, ac vulgi vulgo ludibrio habendus
Juppiter Imperii Deus optimus, & Superum Rex
Creditus, atque Urbis Tutor, Servator, & Auctor.

Cum

(a) *Per illuminationem Salvatoris nostri J. C. ... positus sum ego Prædicator, & Apostolus, & Magister Gentium*. 2. ad Tim. 1. v. 10. & 11.

(b) *Abundantius illis omnibus laboravi*. 1. ad Cor. 15. v. 10.

(c) *Constans esto: sicut enim testificatus es de me in Jerusalem, sic te oportet & Romæ testificari*. Act. 23. v. 11.

(a)Cum *Jove* quotquot erant simulachra, Diique, Deæque
Imperii averruncanda: & capitale futurum,
Siquis adoraret, vel plures crederet uno
Esse deos: abolenda etiam meretricia sacra:
Nec fas jam *Veneri*, *Baccboque* litare, sequive,
Aut imitari hæc propudiosa exempla deorum.
Præterea plebejorum quia pœna latronum
Crux erat, & majus qua nullum dedecus; atrum
(b)Romanis horrorem oculis, probrumque ferebat.
Prælata est tamen, ac *Romæ* exaltata; domumque
(c)*Cæsaris* ingressa: & curvato poplite, & aris,
Et thure, & sancto Crux est invecta triumpho.
[d]Et *Romana* fides Christo data, gloria *Petri*
Præcipua, atque ingens comitis quoque gloria *Pauli*,
Fama jam fuerat vel tum vulgata per Orbem.
Ultra etiam Imperium *Romanum*, & ad usque repostas
Cælo alio Gentes: trans utraque litora *Gangis*,
Ad *Coromandelos*, ubi primos exserit ortus,
Qua vigil Eois Aurora resurgit ab undis:
Usque & ad *Æthiopas*, nascenti conscia *Nilo*
Regna, & *Sauromatas* ultra, *Scbythiamque* nivalem,
Qua septem super impendent, præsuntque Triones:
Qua *Romanæ* Aquilæ, nec *pila minantia pilis*
Cognita dum fuerant; quo vix languentia, & ictu
Obliquo, & fracta jam vi, Sol spicula vibrat,
Ad *Gangem Thoma*, ad *Scythiam* ductore *Philippo*,
Usque & ad *Æthiopas Levi*, & *Simone*, &. *Juda*,
Prolatum imperium Crucis est, & nomen Jesu.

Tu

(a) *Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fideli, cum infideli? Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* 2. ad Cor. 6. v. 14. & 15.

(b) *Improperium ejus portantes*. ad Hebr. 13. v. 13.

(c) *Salutant vos omnes sancti, maxime qui de Cæsaris domo sunt.* Ad Philip. 4. v. 22.

[d] *Fides vestra annuntiantur in universo mundo*, ad Rom. 1. v. 8.

Tu quoque, tu major *Jacobe* [veterrima fama
Patrum sic est ad seros perlata nepotes]
Cæsar ad *Augustam Fidei* tu altissima sanctæ
Dogmata, tuque Crucis primus vexilla tulisti
Gentis ad *Hesperiæ Tartesia* litora, & usque
Herculis ad metas, ubi Sol postquam ambiit Orbem,
Sistit anhelantes, recreatque, lavatque jugales.
(a) Occidit *Herodis* gladio hic, primusque Magistrum
De *Duodenorum* numero, sanctoque Senatu,
Quem fuerat vita, sic est & morte sequutus.
Romani Herodis jussu, rigidique *Neronis*
Imperio, diro distentus corpora trunco
Petrus, & exsecta capite a cervice revulso
Paulus, Christiadum duo maxima lumina, *Romæ*
(b)Occubuere, pares caussa, etsi dispare morte.
Ultra etiam mortem socios, comitesque futuros
Abstulit una dies, & funere mersit utrosque.
Consimili ac prorsus fraterna morte peremptus
Andræas, decussatis, nexisque vicissim
Ad medium geminis suffixus brachia truncis.
A latere oblongis, valide facto impete utrinque,
Hastis confossus *Thomas*: dejectus & alter
Jacobus summi præceps de culmine templi,
Exceptusque sude, & violento stipitis ictu.
Tu vero absumptus nece, *Bartholomæe*, cruenta,
Crudelique magis. Nam (carnificina ferarum
Quæ sola est) cute direpta, pendenteque circum,
Vivo etiam tibi dum patulæ, trepidæque micabant
Venæ, ac totus eras cruor undique, & undique vulnus.
Ver-

(a) *Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesiae occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.* Act. 12. v. 1.
(b) *Hæc, & historica dehinc ad finem omnia, ab Auctoribus, non quidem* Hagiographis, *qui nulli jam sunt; sed tamen probatissimis, & severiore Critica instructissimis excerpta sunt.*

Verbo, quotquot erant *Fidei*, moruntque Magistri
A Christo primi, varie & crudeliter una
Omnes carnificum manibus laniati, & acerba
Vi, ferro, excelsas animas posuere, caputque.
Morte tua solus tu, quem dilexit amore
Præcipuo, Matrem, cui commendavit Jesus
Commoriens, & postrema jam voce vocavit,
Ac dedit esse tuam, testamentoque reliquit,
Morte tua extinctus solus tu. Sub Cruce namque
Tu solus fueras. Nullum hoc atrocius ullum
Supplicium: coram exspirantem cernere Jesum:
Ultima & excepisse sinu suspiria vitæ.
Sanguine quin etiam aspergi morientis. Amoris
Sic tu *Martyr* eras, gladio trajectus eodem
Cum Matre. Ille tibi, rupit qui pectora Matri
Ensis; plus oleo, quo dein fervente natasti,
Attulit infandi, ac diri præ morte doloris.
Instar erant *Duodeni* ovium: illos undique sęvi
(*a*)Mactabant hostes rabidorum more luporum.
Hoc semel, hoc iterum prædixerat ante Magister
(*b*)Discipulis: odia horrenda, & tristissima quæque
Omnia passuros, nil unquam tale merentes;
Hac una tandem de caussa, ob nomen Jesu.
Hæc Sanctis, hæc ille suis patrimonia liquit,
Carne quidem mersis oculis, oculisque profanis
(*c*)Tristia; Discipulis autem charissima, Regni
Cęlestis cuncto pignus pretiosius auro.
Qui fuit *Hyrcana* fœta *Nero Tigryde* multo
Sęvior, arctatos loris, valideque revinctos,
Incensaque pice, atque ardente bitumine tinctos

Chri-

(a) *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Matt. 10. v. 16.

(b) *Eritis odio omnibus propter nomen meum.* Ibid. v. 22. & Marc. 13. v. 13. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Joa. 15. v. 20.

(c) *Si sustinebimus, & conregnabimus.* 2. ad Tim. 2. v. 12.

Christicolas, passim per compita, perque plateas
Romæ, accendebat nocturni in luminis usum:
Et quid non egit *Decii* furor impius? Ille
Barbara, inhumana, atque exquisitissima quæque
Supplicia exhausit, laniandoque obtudit enses,
Confregitque rotas, delassavitque secures.
Tunc & Virginibus veterum de stirpe creatis
Heroum, & virtute magis quam sanguine claris,
Vulnere, quo nullum fortasse immanius, alto
Impete, dejectæ ferro, absumptæque papillæ.
(*a*)Quid sub Principibus, quorum vel Carmen abhorret
Nomina? Vix talem recipit te, sęve *Diocles*,
(*b*)Qualis eras plebeja ortus de gente, priusquam
Cingeret indignos diademate Purpura crines.
Exsecrabilior *Decio*, asperiorque *Nerone*
Hic, non ut *Nero* singillatim in lumina noctis;
Sed coarcervatos uno dabat impete flammis
Millenos, & millenos. Processit & ultra
Christi odio, & *Phrygiam* infandis totam ignibus urbem
Absumsit, nigro involvens Matresque Virosque
Turbine flammarum, lactentesque ubere Matrum
Infantes, nullo ætatis discrimine, nullo
Sexus, in cineres ferri dedit omnia ventis:
Hos sic: ignitaque alios sartagine, subtus
Applicito, & lento paullatim torruit igne:
Ne *Siculi* pejora ulla essent facta tyranni.
Nec flammis solum: innumeros etiam obruit undis
Christi cultores. Manicis, & compede vinctos,
Lintribus impositos ruptis, lacerisque phaselis,
Et super hos alios, quasi muta, & inania sensu

Cor-

(a) *Intellige* Domitianum, Maximinum, Valerianum, Aurelianum, Diocletianum *Christianorum insectatores atrocissimos, & quorum syllabæ carmini repugnant.*

(b) Diocletianus *ante adeptum imperium* Diocles *dicebatur.*

Corpora congereret, turmatim pondere iniquo
Agglomerans; vasto pessumdari, & æquore mergi,
Et dabat adjectis una cum lintribus omnes
Fluctibus hauriri, spargique, rapique procellis.
Ursorum exuvias alios, pellesque ferarum
Indutos, & compulsos incedere ritu
Quadrupedum, sic deceptis, avidisque *Molossis*
Objecit discerpendos. Sed parcere Sanctis
Addidicere *Canes* tum, carnificesque vorarunt
Desuper impulsi, ac pœnas sumpsere merentum.
Sed quos non ausi indomiti lacerare *Molossi*;
Hos, aut dejecto ex humeris capite hauriit ensis:
Aut ruida attrito prostravit clava cerebro:
Aut spissus lapidum tumulavit grandine nimbus.
Sed quid ago? Nemo pœnarum nomina, nemo
Voce queat (vox etsi alicui indefessa sonaret,
Ferreaque) aut totidem scelerum comprendere formas,
Aut totidem, quot dilaniandi exercuit artes.
Demens! qui quod opus rexit Deus ipse, Deique
Filius, eruere, & se profligare putavit
Posse, & sanguineis tegere, & tumulare ruinis.
Imbecillæ oculis hominum, & laniatæ, & inermi
Armatæ dumtaxat *Oves* patientia, & ipsa
Morte obita, vicere *Lupos*, vicere *Nerones*,
Ac *Decios*, teque his truciorem, sæve *Diocles*.
Sic vicisse opus Excelsi est, divinaque prorsus
Hæc est, non opibus, non vi, non impete, & armis
Proveniens; tota & cedens victoria victis.
Sanguine inundata, ac pene obruta sanguine; crevit
Uberior, magis aucta, ac propagata per Orbem
Relligio. Caput alte elata, Palatia Regum
Conscendit victrix! Et qui diadema gerebant
Augusti, quorum vel nutus audiit Orbis,
Submisere Cruci caput: hoc & fronte tulerunt
Non jam ignominiæ, ut quondam; sed gloriæ, honoris

Ac

Ac Regis Regum monumentum, insigneque signum.
Horum tu, cujus laudi præconia nulla
Digna satis, ductor tu *Constantine* fuisti,
Ac Princeps. Tibi nam sublimis in aere visa
Crux, medio ardentis cælo tum, lampade Solis
Pulchrior. Inde tuis præcedens edita castris,
Vexillisque tuis prælata; exterruit hostem,
Et gelida super injecta formidine, turpem,
Præcipitemque optare fugam ac dare terga coegit.
Ponte quoque indignante hosti, abruptoque repente,
Tibridis exhaustus periit *Maxentius* ille
Undis, qui *Dioclis* rabidæ feritatis, & iræ
Æmulus, innocuum Christi vastabat ovile.
Nec mora, jussisti: quæ *Romæ*, plena cruoris
Ibant Christiadum, siccari, & flumina sisti
Impia: & edicto Præconis voce per Urbem
Vulgato, requiem Sanctis, pacemque dedisti.
Donec sancta *Fides*, donec *Romana* vigebit
Relligio, æternis quæ sustentata columnis
Est; honor hic tuus; eximii hæc & gloria facti
Semper erunt, serisque ætatibus usque manebunt.
Viderat ab stygiis, semperque gementibus antris
Noctipotens scelerum inventor, quod moverat atrox
Hactenus effuso large undique sanguine bellum
Successisse parum; quin & firmamina Christi
Regno accessisse: & tantis, tot testibus usque
Ad mortem, atque ultra immotis, quam vertere fundo
Relligionem attentabat; nova germina passim
Emisisse, nova & nactam incrementa per Orbem,
Qualiter in silvis lacerata bipennibus ilex
Per cædes, per damna, per & fera vulnera, ab ipso
Ducit opes ferro, atque animos; & fronde superbit
Lætior, ac cælum versus caput altius effert,
Dat gemitum tonitru similem. Ad fraudesque, dolosque,
Perfidiæque veneniferas revolutus ad artes;

In-

Inteſtinum aliud bellum, graviuſque periclo
Tentare inſtituit: neque jam ſolo enſe cruento;
Sed calamis magis, ingenioque, & mente gerendum
Imbutis obfirmata diſcordia, & aſtu
Vipereo, & pravo inſanæ novitatis amore.
Aſpidis in ſpeciem exigui collectus; in ima
Viſcera ſtertenti clam ſe inſinuavit *Ario*.
Sacrorum hic fieri *Antiſtes* cui fecerat urbi
Nomen *Alexander*, præcelſa & ſede præeſſe
Ambitione furens ardebat. At inde repulſus,
Speque hac dejectus, turbatus mente, feroxque,
Vindictam in ſomnis etiam ſpirabat, & iras.
Aſpidis attactu, illapſuque ferocior; ipſum
Impetere eſt auſus Cælum: æqualemque Parenti
Eſſe negare Patri Unigenam, qui corpore tectes
Noſtro, illibata voluit de Virgine naſci.
Carmine peſtifero (vocat iſtud & ille *Thaliam*)
Quod male tornatas pejores redderet aures;
Obtulit incauto lethalia toxica vulgo.
Seditione potens plures capita alta ferentes
(a)Paſtores gregis infecit, tinxitque venenis,
In parteſque ſuas traxit, pepulitque volentes.
Conſtantino etiam impoſuit. Triſtiſſima Regum
(b)Sors hæc: larvato, & mendaci illudier aſtu:
Nec ſceleratorum falſos bene noſcere vultus:
Quippe ſibi ignotos, qui neſcia pectora fraudis,
Regia corda gerunt. Fraudum ædificator *Arius*
Eximius, vocem, faciem mentitos ovillam;

Abde-

[a] Arius *anathemate ab* Alexandro *Epiſcopo Alexandrino perculſus; ad* Euſebium *Cæſarea Epiſcopum confugit, quem hæreſis ſuæ ſocium, & fautorem nactus eſt, cum aliis Epiſcopis, inter quos erat* Euſebius *Nicomedia, cujus magna erat apud Conſtantinum gratia, & auctoritas.*

(b) *Aures Principum ſimplices, & ex natura ſua alios æſtimantes, callida fraude decipiunt.* Eſth. 16. v. 6.

Abdebat rictus, dentesque, unguesque lupinos.
Huic fregere caput monstro celeberrima centum
Ter *Nicænorum*, Sanctorumque agmina Patrum.
Et tamen audebat calcatus livida colla
Arrigere, obliquasque in Cælum tollere cristas.
Qualis quem pressit cantho rota forte jacentem,
Obtritumque, ac semineccem, lacerumque reliquit;
Prorepens tamen insurgit, tumidumque veneno
Attollit caput, & furialia pectora *Serpens*.
Tandem insperata præreptus funeris hora,
Viscera diruptus (diuturnum ubi fecerat *Aspis*
Nidum) sic etiam movit civilia bella.
Usque adeo multos fraudum, heredesque furoris
Linquens: excessit sontes fremebundus ad umbras.
Harum quotquot erant turmarum *Athanasius* unus
Terror erat. Quadraginta, atque his amplius annos,
Urbis *Alexandri* defendit mœnia, denso
Aggere, & objectu clypei impenetrabilis; etsi
Sede sua, & patria extorris: vivusque sepultus
Interdum, profugusque errans, ac lustra ferarum
Confugio quęrens. Soboles tamen impia *Arii*
Hunc sic extorrem, & profugum, & timuere sepultum.
Nec minus interea (magno quem *Gallia* partu,
Gallia nunc, olim, semper fœcunda Virorum,
Eduxit) Christi terrebat *Hilarius* hostes.
Facundus, vehemens sobolem illam cinxit, adegit
Fossa: & prærapido effuso, exundanteque aquarum
Agmine demersit, totis *Rhodani* obruit undis.
Par Athleta his, insanos *Hieronymus* ausus
Contudit *Helvidii*, qui sanctæ aspergere Matri
Dedecus, impuro, sceleratoque ore volebat.
(*a*)Omnigenum monstrorum alia, horrendeque rudentum

S Dal-

(a) *Intellige* Jovinianum, Montanum, Vigilantium, *quorum hæreses* Hieronymus *prostravit*.

Dalmata bellipotens colla, & capita abscidit ense.
Arma etiam tractare rudes munivit, & armis
Induit: instruxitque novas Aciesque, Ducesque.
Quippe Arma, & sanctos Armamentaria Libros
Vulgavit *Latio*, facilesque aptavit in usus.
Nec jam *Graja* opus est, peregrinaque litora adire:
Quandoquidem tuta & sunt propugnacula bello,
Sunt quoque & Arma domi; quæ versatissimus illis
Attulit huc victor rediens *Hieronymus* oris.
Tu quoque Dux bello invictus, tu cujus in ore
Examen consedit apum, cui melle fluebant
Labra: *Augustinum* tu, melle, & nomine præstans,
Vicisti: & fuerat qui formidabilis olim
Hostis; fecisti Defensoremque, Ducemque.
Ecce autem, ecce alias, alios miscere tumultus,
Umbrarum pater instaurat, stimulatque phalanges.
Nestorianorum, annitentum tollere Matri
Divinæ totum hoc quantum est nomenque, decusque
Immortale, Deique omnes Genitricis honores.
Eutychianorum, qui dum in contraria tendunt;
In Christo esse hominem absorptum, exaustumq. volebant:
Turbaruntque, & confudere Hominemque Deumque.
Hos tamen horribiles, armisque, æstuque potentes
Prostravere hostes, ac deduxere triumpho
Captivos collecti *Ephesi*, & *Chalcedone* Patres.
Postremi hi hortatu acciti, Magnique *Leonis*
Rugitu. Qui surgentem ut contunderet hydram;
Suprema de sede *Petri* tonitralia verba,
Concussura hostes, signavit epistola: & ipsa,
Ignea tela etiam, & victricia fulmina misit.
Parte alia, toto divisis orbe *Britannis*,
Hostica prorupit secum socia agmina jungens
Pelagius. Nobis aspersam ab origine labem
Inficiabatur tumidus, stolideque superbus,
Vires de cælo, auxiliariaque arma negabat

Esse

Eſſe neceſſe, ut lucifugum, qui perdere tentat
Undique nos; profligemus, ſuperemus & hoſtem.
Nil opus auxilio, ajebat, precibuſque; ſalutem
Viribus unumquemque ſuis ſperare jubebat.
Demens! qui neque ſe tandem, neque noverit hoſtem.
Nec ſaltem expertus potuit cognoſcere, quantis
Debilitata malis ſit noſtra hæc vita, ſaluſque.
Sic & febre jacens, oculos ubi denique preſſit
Sera quies; rapidos, agileſque extendere curſus
Poſſe videtur. At in mediis conatibus impar
Deficit, & robur nullum illi eſt: ſomniat æger.
Hunc *Auguſtinus* calamo jugulavit: & omnes
Captantem latebras pavide, & caligine multa
Involventem aſtute aditus, varioque reflexu
Abdentem ſeſe, & fumum, tenebraſque vomentem;
Per veſtigia cęca, per intricata ſequutus
Aurelius fugientem hoſtem protrivit: & atras,
Lumina magna ferens, dimovit, diſpulit umbras.
Tu decus *Italiæ*, *Gregori*. Te patria *Roma*
Nolentem, invitumque excelſa ſede ſedere
Petri, cæleſti indicio, ſignoque coegit.
Tu præcellentes *Romanæ* Sedis honores,
Quos ſuffurari, ſibique uſurpare volebat
Urbs faſtu turgens, *Conſtantinique* ſuperba
Nomine; ſervaſti, aſſuetus jam vincere in illa
Urbe. Ibi Paſtorem errantem, ac revocata ſepulchris
Corpora noſtra, iterum ad vitam reditura negantem,
Triſti hoc, immanique erepto errore; libenter
Victum, feciſti, *victum ſe*, & vera fateri.
Hæc duo ſemper erunt tibi, Magne, erecta trophæa
Illuc, anguſtis ubi faucibus uſque coactum
Frendentem ſtringunt *Byzantia* litora pontum.
Sed rupere fidem tandem, rupereque pacem,
Majoreſque iterum *Byzantia* litora turbas,
Vaſtificaſque magis, triſteſque dedere ruinas.

Bellum ingens ense, & sceptro *Leo* movit *Isaurus*
Undique *Imaginibus* sanctis, vetuitque precari
Coram: dejectas passim exturbavit ab aris:
Diripuitque, & sacrilegos conjecit in ignes.
Hoc truculento adeo generatus Patre *Leone*;
Excessit tamen impietate *Copronymus*: inde
Dictus sic, infans quia, dum de more, sacrato
Fonte lavabatur; fœdavit stercore fontem,
Augurio infando. Nihil hic aut liquit inausum,
Aut intentatum in Superos: monumentaque Divum.
Quæ Pietas, quæ Relligio penetralibus imis
Abdiderat; conquisita exquisitius, alte
Proruta, & infandis sunt omnia tradita flammis.
(*a*)Plus sexaginta furor hic caput extulit annos
Constantinopoli. Sed enim facto agmine, rursus
Convenere Patres *Nicææ*: mœstaque tandem
Relligio recreata est, exaltataque ad aras.
Singula percensere nefas quæ bella furentes
Seditiosorum turbæ, pugnasque ciebant.
Qua tu cunque oculorum orbes per sæcula volvas;
Perfidiosorum, Desertorumque maniplos,
Tartareasque acies videas, nigrasque catervas.
Sed quotquot fuerant tot jam per sæcula, cunctos
Provocat, atque hostes vocat in certamine, & omnes
(Tantus erat!) calamo invicto debellat *Aquinas*.
Angele, viventi dedit hoc tibi *Gallia* nomen,
Et merito: neque enim posses, nisi & *Angelus* esses,
Quadraginta, atque octo annis, quo tempore vitam
(*b*)Clausisti exiguo, tam magna volumina, tamque
Egregia usque adeo felici reddere partu.
Summa tua una hostes satis est frænare: silebunt
Si capient: muti rabiosa silentia rodent,

Pu-

(a) *Ab anno* 725. *ad* 787.
(b) *Natus anno* 1227. *obiit* 1274. 7. *Martii*.

Pugnantum te Acies pro Relligione sequutæ
Sunt, cen Ductorem magnum, semperque sequentur:
Sævius in Cælum, terrasque *Acheronte* refuso,
Tum demum solito truculentior, intima ructans
Viscera lucifugus nigri *Draco* Legifer *Orci*;
Tisiphonem geminam, geminamque efflavit *Erinnym*
Lutherum, & *Calvinum*. Istis mage tristia monstra
Aut furibunda magis nulla ante efflaverat *Orcus*.
Ad mala cuncta etiam invitos, quasi compede vinctos,
Raptari misere nos, omnimoque peremptum
Arbitrium jam tunc esse, affirmabat uterque,
Insita cum nobis prima est ab origine labes.
Et quid erat tandem hoc aliud, nisi fræna pudoris
Tollere? & efficere, ut vel quam fœdissima quæque
Flagitia, & quotquot sunt crimina cuncta licerent?
Addunt: impulsu divini luminis actos
Nos, vel ut exanimum quid, compellique, rapique;
Quin obnitendi sit jam contra ulla potestas.
Atque adeo nihil omnino unquam posse mereri
Nos. Hæc Doctores illi solatia nobis
Portabant. Sed *mercedem*, meritamque *coronam*
(*a*)Divini passim Libri, & certaminis hujus
Palmas esse ajunt dandas victoribus, illic
Vita ubi semper erit felix, semperque beata.
At sanctos audax Libros minuebat uterque
Ad libitum. Quos de numero hoc abradere visum,
Radebant, scriptosque Deo aspirante negabant.
Omnia quę non jam scriptis, sed tradita verbo,
Perpetuoque inde a Christo ad nos ordine, semper

(a) *Merces vestra copiosa est in cælis.* Matth. 5. v. 12. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* 2. ad Timot. 4. v. 8. *Et palmæ in manibus eorum.* Apoc. 7. v. 9. *Venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine Agni . . . ideo sunt ante thronum Dei.* Ibid. v. 14. & 15.

Relligione pari, tot jam volventibus annis,
Demisso accepta obsequio, ac servata fuere;
Stirpitus, atque imo tentabant vellere fundo.
Desuper externa quadam, quasi veste, volebant
Justitia Christi indutos, quæ cuncta tegebat
Crimina, conatu nullo, nulloque labore,
Aut merito, subitos fieri, & consistere Sanctos.
Ambo pudicitiæ hostes, Virginitatis acerbi
Osores; castos nolebant esse Ministros
Sacrorum. Sanctis abducta Virgine claustris,
Sacrilega infandum perfrictus fronte triumphum
Egit *Lutherus*. Per & ipsum facta potestas
Vincula rumpendi, Christus quæ posse negavit
[a]Rumpi, & fœdandi socialia jura marito.
Obtentu, & specie panis, vinique latere
Verum Hominem, verumque Deum, voluisse negare;
Nec potuisse tamen, nolens, victusque fatetur.
Quid faceret? Rabidus vinum, panemque redactum
Ad nihilum, vult integrum, incolumemque manere,
Qualis erat, neque dum tonuit cum verba Sacerdos.
Effrenem hanc *Erebi furiam* superare nefandus
Ausus *Calvinus*, Christum quoque sustulit: audens
Hoc etiam sceleris, quod tantum expaverat unum
Lutherus: quem terruerant clarissima Christi
(b)Verba, quibus *potum vere se* ait *esse*, *cibumque*.
Crudelem, immanemque Deum depingere gaudens,
Ajebat: cæca, horribilique lubidine ductum,
Haud culpa prævisa ulla; præcludere cælum
Pluribus, æternisque illos addicere flammis.

Hæc

(a) *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*. Marci 10. v. 11. Lutherus *tamen indulsit etiam hoc* Philippo, Hassiæ, *ut ajunt*, *Landgravio*.
(b) *Caro enim mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus*. Jo: 6. v. 56.

Hæc infrunito ille ore; etsi Oracula sancta,
Sponte sua suavem esse Deum, ingenioque benignum
Erga nos Patrem, passim clamantque, monentque:
(a) Æternæque negant morti ultro addicere quemquam.
Adjecit portenta alia, exsecrandaque. Plura
Jam calamus meminisse horret, lugensque recusat.
Centenis aliis monstra hæc vallata colubris,
(b) Accitisque aliis socialibus undique monstris;
Heu! quot, quamque graves coacervavere ruinas!
Quantaque *Tænariis* Regna involvere tenebris!
Quatuor actutum vestras, *Helvetii*, opacæ
Involvere plagas umbræ? involvere Trionum
Proxima sideribus quæ sunt duo maxima Regna,
Dania te, & rursum te bellica *Suecia*, totam:
Compluresque tuos ingens *Germania* tractus:
Indomitosque, & concordes, fortesque *Batavos*.
Tu quoque Sanctorum nutrix, fœcundaque Mater
Quondam; obscurata es tandem. Te semper amaro,
Semper te magno lugebimus, *Anglia*, luctu.
Sed vero tunc, tunc, inquam [mirabile dictu]
Tanta videbatur cum detrimenta subire
Relligio; crevit magis, ultra, & longius ivit:
Ignotosque, novosque est dilatata per Orbes.
Europæ parte excedentem *America* recepit
Utraque; & utralibet longe *Europa* undique tota
Major: cui præerat tunc *Moctezuma* supremo
Imperio: & quam postremus tunc *Inca* regebat.

(a) *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de pusillis istis*, Matth. 18. v. 14. *Nolens aliquos perire*. 2. Pet. 3. v. 9.

(b) *Intelligite* Melanchtonem, Osiandrum, Carlostadium, Zuinglium, Œcolampadium, Bucerum, Muncerum *caput* Anabaptistarum, Flaccum Illyricum, Bernardinum Ochinum, Theodorum Bezam, *&* *tot alios illius ætatis hæreticos, qui omnes aut* Lutherum, *aut* Calvinum *duces habuerunt*.

Extremo Orbe alio positi, longeque remoti
Tunc dederunt (quod vaticinus prædixerat ante
(a)*Esaias*) sobolem sanctam *Septentrio*, & *Auster*.
Cum *Fide* adorandum, & magnum tibi, *Mexice*, signum
Exhibitum, lapsa & meliora ancilia cælo:
Præsidium æternum tibi tutamenque futura.
Namque Dei coram adstante, & sic Matre jubente;
Saxoso, sterilique solo, medioque *Decembri*
Erupere rosæ. Quas asperiore, rudique
Palliolo implicitas, simul atque *Antistite* coram
(Infula cui sacros umbrabat pendula crines)
Indigena explicuit [mirum !] ecce impressa repente
Palliolo est quam pulchra Dei Genitricis Imago,
Aligero innixa, & sinuosæ cornua Lunæ
(b)Calcans: cæruleo fert didita plurima peplo
Sidera; propendens capiti radiata corona
Eminet, a tergo circumdatur undique Sole:
Illius omnino ad normam, speciemque, sereno
[c]Cælo tranquillus quam *Pathmo* viderat exul:
Qua neque amabilius quidquam est, neque pulchrius Orbe.
Ut memini! Ut videor, te nunc quoque, Virgo, videre!
Quod fas, hoc facio. Memor hinc, & cernuus ore,
Quæ sola ire queunt, ad te, pulcherrima Virgo,
Crebra, & itura quidem citius suspiria mitto.
Ardua tunc etiam relegens vestigia *Thomæ*,

Ad

(a) *Dicam Aquiloni : Da : & Austro : Noliprohibete : affer filios : meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ :* Is. 43. v. 6.

(b) *Immaginem hanc miraculorum frequentia celeberrimam* Mexicani *vocant de* Gu da upe: *Colitur prope Urbem magnificentissimo templo, & Regio, ac præclarissimo Sacerdotum Collegio, cui & templi, & cultus procuratio mandata est. Rite, atque ordine Patronam Regnorum illorum principem proclamatam esse Bened. XIV. Auctor. Apost. declaravit: &* Officio, *ut ajunt proprio illam decoravit die* 24. *Aprilis* 1754.

(c) *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus ejus*. Apoc. 12. v. 1.

Ad *Coromandelos* longe proceſſit, & ultra
Xaverius, qua vix ortam *Japonia* cunis
Excipit Auroram, tenebriſque, undiſque renatam.
Chriſtus ubi necdum, neque vox audita ſalutis
Ulla unquam fuerat, Regionibus hactenus umbris
Immerſis; lucem invexit: linguaſque loquutus
Ignotas, ſignoque Crucis faciens Maris undas
Dulces: ad vitamque, olidis excita ſepulchris,
Corpora ſæpe vocans, quot perfida ſuſtulit iſthac
Lutheri impietas; illac tot millia centum
Reſtituit, Regna adducens ingentia Chriſto.
Tandem *Tiſiphonem* geminam eliſere *Tridenti*
Patres, deinque alii calamis victricibus omnes
Undique Doctores acciti in prælia tanta.
Hos inter *Bellarminus* caput extulit alte,
Romano, excelſoque ornatus murice frontem.
Formidabilior nemo hoc fuit hoſtibus hoſtis.
Contra unum hunc omnes conſpiravere, & in unum
Irrita jecerunt denſiſſima tela ſine ictu.
Et quas non turbas, quos non movere tumultus?
Qui ſe *Auguſtini* genuinos eſſe, meroſque
Diſcipulos jactabundi, tumidique volebant.
Nec veriti hunc tam præclarum affectare Parentem;
Cum *Lutheri* eſſent, *Calvinique* ibrida proles.
Quandoquidem Auxilio interiori (utcumque tenebris
Omnia inumbrarent) re, obſiſti poſſe negabant,
Non ſecus atque illi quondam fecere: fuitque
Gratia, ut his, illis quoque delectatio victrix.
Sicut non ſancta hæc victrix, potiorque voluptas
Deſuper immiſſa eſt; præcepta faceſſere poſſe
Hunc divina negant. Quidquid conetur; iturum
Ajunt, quo major, vaſto quaſi pondere, deorſum
Fruſtra obluctantem rapiet male ſana voluptas.
Inficiatur item, pro nobis omnibus eſſe
Perpeſſum, & vitam Chriſtum, aut fudiſſe cruorem:

Quæ *Calvini* etiam deliramenta fuerunt.
O bene! quod manifeste adeo exturbabit utrosque,
(a)Et totidem docuit verbis contraria *Paulus!*
Quo vix nascentem, vix ortam fulmine *Roma*
(b)Contudit hanc pestem; poterat fortasse videri
Profligata. At enim infirmo discrimine *Juris*,
Et *facti*, veteratores audacius illi
Pergebant perturbare, & confundere pacem.
Donec ab excelso *Clemens* hoc nomine dictus
(c)*Undecimus* majora aliis duo fulmina misit:
(d)Quæ *Ludovici* etiam Pietas, & Regia prorsus
Majestas in seditiosos inque rebelles
Impulit, & tandem afflixit delevit & hostes.
Nec vero potuit vel tum consistere tuta
Pax. Namque ex horum fœtentibus ossibus, agmen
Philosophorum, hoc se titulo, hoc se nomine donant
Ipsi, *Philosophorum*, inquam, furiosius agmen
Prorupit. Qualem *Græci* finxere Poetæ
De serpentinis, quasi semine, dentibus ortam
Improvisam aciem, clypeataque sæva virorum
Agmina. *Vipereæ*, magna vi, vulnera genti
Victor *Agenorides*, mortemque inferre parabat.
Ipsi autem horrendis se confecere vicissim
Ictibus *anguigenæ* per mutua vulnera fratres.
Sic hi, se jugulant ipsi: pugnantia passim
Secummet mire obliti, immemoresque loquuntur.
Non *Scripturarum*, aut armamentaria *Patrum*

Tra-

(a) *Pro omnibus mortuus est Christus*. 2. ad Cor. 5. v. 15.
(b) *Constit. Innocent. X.* Cum occasione *edita die* 31. *Maji* 1653.
(c) *Duas Constit.* Vineam Domini Sabaoth *edit. d.* 20. *Oct.* 1705. *&* *celebriorem aliam* Unigenitus Dei Filius, *emanatam die* 8. *Sept.* 1713.
[d] *Intellige XIV. & XV. Uterque enim Constit.* Unigenitus *favit religiosissime. Et tandem* Ludovici *XV. Edicto Constitutio, illa, tanquam Regni Lex, roborata est, anno* 1756.

Tractant: quippe horum indocti, ignarique, rudesque
Armorum. Sola armati petulantia, & ausu,
Certamen, pugnamque cient: salibusque, jocisque
Aspersa, & fuco insidioso, atque illita melle
Mortifero, nova tanquam essent, & magna reperta;
Rancida divendunt *Epicuri* insomnia vulgo.
An quia *Philosophi* istius sunt castra sequuti;
Philosophorum etiam placet his sibi sumere nomen?
Quidquid erit, vetera hi nostri, & mera somnia vendunt
Philosophi: atque ideo sibi pugnant, nec sibi constant.
Relligionem aliquam *naturalem* esse, docebant
Nuper, & esse Deum nonnullum, cui super Orbe
Cura foret. Satis, ajebant, hoc esse; negabant
Cætera, & esse anuum male sarta inventa volebant.
Nunc etiam hoc rupere jugum; tentantque vel ipsum
Siderea de sede, thronoque, a vertice Olympi
Regnatorem Orbis deturbare Omnipotentem.
En quos collaudat, nostra admiratur & ætas
Philosophos! At ego memini, audivisse rudentes
Hæc eadem turpes *Epicuri* de grege porcos.
Nec bene congruere, aut sociari posse putabam
Philosophi grande, & venerabile nomen, haramque.
Hui stultum me! Quæ fieri tum posse negabam;
Philosophi hi nostri faciunt, factoque triumphant.
Antiquum revocare chaos nituntur: & esse
Instar brutorum, perituros nos quoque morte
Totos, persuasum sibi habent, gaudentque ruina:
Horrentque, ac detestantur sine fine futuram,
Et nunquam morituram Animam: tuaque illa, *Lucreti*
(*)Cantant: *Dissolvi quoque convenit omnem animai*
Naturam, ceu fumus in altas aeris auras.
Et metus ille foras præceps Acheruntis agendus
Funditus, humanam qui vitam turbat ab imo,

(*) *Lib.* 3. *v.* 456. & *v.* 37. &c.

Omnia ſuffundens mortis nigrore ; neque ullam
Eſſe voluptatem liquidam , puramque relinquit .
Accumulant alia, atque alia his affinia: & ipſis
Nil dubitant ſanctis maculas aſpergere Libris :
Quos aperire quidem necdum didicere . Sigillis
Clauſi ſunt ſeptem . Neque tot diſſolvere nodos
Hi , neque divinas poſſunt contingere claves .
(*a*)Sed quid ego ? Jam *Nonnotus* , *Bergerius* , ambo
Belligeri excelſi , invicti fregere ſuperbos
Philoſophos iſtos , irridendoſque dedere .
Perpetuum hoc fuit : hoſtili tentata tumultu ;
Clara magis facta , ac dilucida dogmata ſancta
Sunt ; & diſſidio hac illac , certamine ipſo
Reddita lux major ; ſtygias procul expulit umbras .
Hactenus & nobis invitus profuit hoſtis .
Nec deerunt poſthæc alia , & nova prælia . Nunquam
Aut feſſus *Phlegeton* , aut *Styx* ſaturata quieſcent .
Quidquid agent , Furias omnes , monſtra omnia contra ,
Relligio exſtabit *victrix* , ſemperque manebit .
Quam ſolet , aptatis varie pro tempore remis ,
Tota gubernaclo firmo , Rectoreque *Navis*
Aſſueto ventos , tempeſtateſque domare ;
(*b*)Vincere ventorum furias , calcare procellas ,
Pergereque infenſas fulco victore per undas .
Aut veluti ſolet in cælum ire , expoſtaque Ponto ,
Multa trophæa altis oſtentans undique pinnis ,
(*c*)Surgere ; & immenſo ſcopulo *Arx* fundata , tumentes
Frangere , & illiſos immota retundere fluctus .
Hæc ego , ad *Eridani* umbroſas , Vatumque canori
Agmi-

(a) *Hi duo præcipue Gallicani Scriptores præſtantiſſimi a Philoſophorum incurſibus Religionem vindicarunt , & vindicare porro pergent .*

(b) *Imperavit ventis , & mari .* Matth. 8. v. 26.

[c] *Fundata enim erat ſuper petram* , Luc. 6. v. 48.]

Agminis assiduo resonantes carmine ripas,
Tum cecini [exilio quærens solatia cantu]
[*a*]Cum *PIUS*, & re præcipue, & cognomine *SEXTUS*;
Quas *Sexti* attulerant alii sarcire ruinas
Natus, tergeminumque sua Pietate Tiaram
Nactus, ad excelsam, *Petri* dignissimus hæres,
Conscendit Cathedram, clavesque accepit utrasque;
Magnifica, ingenti spe Relligionis, & Orbis.
Hanc *Navem*, hanc *Arcem* e cælo Deus ipse tuetur:
(*b*)Proptereaque tibi, *PIE*, dat, mandatque regendam.
Vive diu felix. Votorum hæc summa meorum.
Cætera præstabis spes tu ultra, ac vota Piorum.
Siqua fides oculis, primo auscultare libenter
Visa est, ac mœstam paullatim exporgere frontem:
Indeque respirare, manuumque abducere vultu:
Ac tandem luctus posuisse, & dulciter ore,
Blandius atque etiam mihi subrisisse Poesis.

J U D E X

Consurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat*: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes.*

CARMEN XLIII.

EN fuit, & jam supremos consedit in ignes,
Et nihil est, & vix ardet, vix fumigat orbis!
Tot Regna, excelsæque urbes, monumentaque Regum;
Eximiæque artis portenta, hominumque labores,
Et queis fidebant auri, argentique superbi
The-

(a) *Electus die* 15. *Feb.* 1775. *Vivat feliciter.*
(b) *Quia diligit Deus Israel, & vult servare eum in æternum, idcirco posuit te super eum Regem, ut facias judicia, atque justitiam*: 2. Paral. 9. v. 8.

(*a*)Thesauri, & quidquid nuper spectabile toto
Orbe fuit; tristes cineres, putresque favillæ
Sunt! Jubare extincto lugubribus obrutus umbris,
(*b*)Et nunquam jam oriturus posthac occubuit Sol:
Luna cruentatos, moribundosque horrida vultus
Extulit: obscuris siluere sepulta tenebris
Sidera, & ardentes Terram oppressere Cometæ!
(*c*) Magna, & amara dies Domini hæc est. Hactenus orbem
[*d*]Abjecisse hominum arbitrio, peregreque profectus
Esse videbatur; nos audacissima quæque,
Tamquam si nunquam dein jam rediturus abisset,
Egimus interea. Sed majestate tremendus
Nunc redit. Ecce vocat, fremitumque imitata tubarum
[*e*]Vox Domini, immenso terras, cælum, æthera complens
Clangore; imperio jubet omnipotente sepulchris
Erigi, & ad solium excelsum, ad sublime tribunal
Sisti Mortales quot sunt; quot & orbe fuere
Omnes. Ecce adsum, & carne, & circumtegor ipsa
(*f*)Rursus pelle mea: meaque arida, putridaque ossa
(*g*)Audivere tubæ sonitum, Dominique vocantis
Vo-

(a) *Argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli ejus devorabitur omnis terra.* Sophon. 1. v. 18.

(b) *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem.* Joel. 2. v. 31. *Stellæ cæli ... non expandent lumen suum.* Isa. 13. v. 10. *Stellæ cadent de cælo.* Matth. 24. v. 29.

(c) *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde.* Joel. 2. v. 11.

(d) *Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis.* Mar. 13. v. 34.

[e] *In voce Archangeli, & in tuba Dei.* 1. ad Thessal. v. 4. *Omnes, qui in monumentis sunt audient vocem filij Dei.* Joan. 5. v. 28.

(f) *Rursus circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum.* Job. 19. v. 26.

(g) *Ossa arida audite verbum Domini.* Ezech. 37. v. 4. *Et accesserunt ossa ad ossa unumquodque ad juncturam suam.* Ibid. v. 7. *Et vixerunt, steteruntque super pedes ejus.* Ibid. v 10.

Vocem: juncturisque suis aptata, suisque
Nexibus, accepere iterum lucemque, diemque.
Quæ subter me condiderat, pressitque jacentem
Tellus, restituit salvum. Ut quæ vasta vorarat
Evomuit Pistrix, posuitque in litore *Jonam*
Incolumen. Aut veluti granum tellure repostum,
Et moriens, gemmat rursum, rursumque resurgens
E tumulo, longo post tempore, alacrius alte
Extollit caput, atque erumpens vertice rursum,
Vitales iterum carpit frondosior auras.
Quæ fortuna olim invexit discrimina iniqua
Inter mortales, sublata hic omnia: nil jam
[a]Prosunt divitiæ, neque refert sanguine cretum
Augusto, aut Atavis Orbis domitoribus ortum.
Nec juvat ingenio excelso, mentisque vigore
Eminuisse, omnesque avide excurrisse per artes.
En quot felices quondam dum vita fluebat
Mortalis, quos vix genitos jam purpura cunis
Excepit, quorum siluit conterritus orbis
Aspectu: quique ingenio, qui mente valebant,
Majus & imperium nacti, ultra funera, & ultra
Mortem regnarunt; nunc mœsti, & lumina vultu
[b]Dejecti incedunt, incurvanturque pudore.
Heu sero agnoscunt, per devia, perque tenebras
(c)Errasse. At contra multi neque laude decori
Ingenii, neque doctrina, neque origine clari,
(d)Qui genus indecores, qui despectissima turba
[e]Esse putabantur; rapiuntur in aera Regi Ob-

(a) *Non proderunt divitiæ in die ultionis*. Prov. 11. v. 4.
(b) *Oculi sublimes hominis humiliati sunt*, *&* *incurvabitur altitudo virorum ... in die illa*. Isa. 2. v. 11.
(c) *Ergo erravimus a via veritatis*. Sap. 5. v. 6.
(d) *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum*, *&* *in similitudinem improperij*. Sap. 5. v. 3.
(e) *Rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*. 1. ad Thess. 4. v. 16.

Obviam, & augusto diademate tempora cingunt.
Sed vero quatitur tonitru, ac totum undique cælum
Panditur. Agmen agit, Regem & præcedit euntem
(a)Præfulgens, & adhuc divino sanguine rorans
Crux. Planctum terrarum omnes populique, tribusque
Dant: amor has Sanctis lacrimas expressit; at horror,
Et pavor his Jesum qui contemsere, crucemque
Detrectaverunt humeris portare, voluptas
Queis semper fuit, & tumefacta superbia cordi.
(b)Quem confixerunt, legionibus undique cinctus
Innumerabilium Aligerum, pompaque, quadrigis
(c)Fulmineis, rapidos late spirantibus ignes,
Descendit cælo, omnipotentemque explicat iram
[d]Rex: quam multa illa diademata tempora ciugunt:
Ex oculis flammæ erumpunt, ore eminet ensis:
Et femori inscriptum descriptumque undique veste
(e)Hoc illi est nomen, *Rex Regum*: interlita multo
Quem large effudit, chlamys est, & rubra cruore.
Incassum miseri colles, montesque precantur,
(f)Ut super incumbant sese: penetralibus abdi

Ter-

(a) *Tunc parebit signum filij hominis in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ.* Matth. 24. v. 30.

(b) *Aspicient ad me quem confixerunt.* Zach. 12. v. 10. *Exercitus qui sunt in cælo sequebantur eum.* Ap c. 19. v. 14.

(c) *Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus.* Isaia 66. v. 15.

(d) *Oculi autem ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa.* Apoc. 19. v. 12. *Et de ore ejus procedit gladius.* Ibid. v. 15.

(e) *Et habet in vestimento suo, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Ibid. v. 16. *vestitus erat veste aspersa sanguine.* Ibid. v. 13.

(f) *Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus operite nos.* Lucæ 23. v. 30. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* Job. 14. v. 13.

Terræ, ipsisque Erebi sepeliri immitibus umbris
(*a*)Optant. Sic agni, sic est & Judicis ira
Terribilis! Fuga præclusa est, perstantque, manentque,
Quas fugere optabant lacrimas, pœnasque daturi.
Jam Superum pennata cohors, celeresque manipli
Explicitis pompa pennis inito undique gyro,
[*b*]Sontibus insontes abjungunt: crimine vitæ
Intactos, & qui lacrimis commissa piarunt,
Judicis ad dextram; sceleratos parte sinistra,
Sanctorum medio avulsos raptantque locantque.
Audin qui gemitus? Qui luctus? Amicus Amico,
Et socius socio assiduus, fraterque sorore,
(*c*)Gnato etiam Pater, & quam dulci a conjuge conjux
Nunquam iterum se visuri, æternoque futuro
Dissidio, immensum proh! divelluntur, utrinque,
[*d*] Haud longe *Solymis*, crudeli ubi morte peremtus,
Nostram morte sua quæsiverat ipse salutem;
Nunc solio sidit Rex: argumentaque amoris
Indignabundus majores vertit in iras.
[*e*]Compellatque reos ipsos, quæ vulnera gestat
Ostentans: Nunquidnam aliud sibi poscere, nunquid
Plus optare sibi potuissent? Hiscere contra
Nemo. At qui justi quondam gemuere silentes;
Nunc alte extollunt vocem: & quæ pessima passi
Nil

(a) *Abscondite nos a facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*. Apoc. 6. v. 16.
(b) *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum*. Matth. 13. v. 49. *Et statuet oves quidem a dextris; hœdos autem a sinistris*. Matth. 25. v. 33.
(c) *Erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur*. Lucæ 17. v. 34.
[d] *In vallem* Josaphat.... *ibi sedebo*.
[e] *Habitatores Jerusalem, & viri Juda judicate inter me, & vineam meam. Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Isa. 5. v. 3. & 4.

(*a*)Nil meriti, lamentantur: caſſoſque labores
Qui fecere ſuos, magnamque dedere ruinam
Conſtanter digito oſtendunt; pœnaſque repoſcunt.
Quo gemitu, flent inviti, damnantque nocentes
(*b*)Ipſi ſe, & mire anguntur, trepidantque ſuorum
Aſpectu ſcelerum, quæ confidenter, & ore
Impavido, abjectoque olim admiſere pudore;
Nunc rubor ora ſubit, domuitque infamia frontem.
Contra ac debuerant, perverſoque ordine rerum
Omnia agebantur mortalis tempore vitæ.
Immerito plerumque ſcelus fulgebat honore,
Vertice conſpicuo incedebant crimina; virtus,
Relligio, Pietas conculcabantur inique.
(*c*)Et quicunque ſequi optabant veſtigia Chriſti,
Hos peracerba odia, atque atrocia cuncta manebant.
(*d*)Si nihil ultra eſſet mortem, ſi nulla fuiſſet
Sors alia; injuſtus Deus; atque indignus amari,
Et fautor ſcelerum foret, aſſimiliſque Tyranno,
Præmia qui largus ſceleri manu utraque libenter,
(*e*)Et ſolas lacrimas tanquam patrimonia Sanctis
Impartiretur. Sic porro nexa viciſſim
Una, eademque Dei cauſſa eſt, & cauſſa Piorum.
En cur magna dies, toto ſpectante theatro
Orbis terrarum, dicta hæc eſt: nequis inultus
Sanctorum, nequemve in Chriſto habuiſſe repoſtam
Spem

(a) *Tunc ſtabunt Juſti in magna conſtantia adverſus eos, qui ſe anguſtiaverunt, & qui obſtulerunt labores eorum*. Sap. 5. v. 1.
[b] *Inimicos ejus induam confuſione*. Pſ. 131. v. *ult.*
(c) *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu perſequutionem patientur*. 2. ad Thimot. 3. v. 12.
(d) *Si in hac vita tantum in Chriſtum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus*. 1. ad Cor. 15. v. 19.
(e) *Plorabitis, & flebitis vos; Mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini*. Joa. 16. v. 2.

(a)Spem pudeat. Dum Mundus erat, dum vita manebat,
Fabula agebatur; nunc acta est: scena remotis
(b)Aulæis, finem nacta est jam, quamque gerebat
Quisque, olim dum vita fuit, persona recessit.
Orbis erat dominus *Nero* quondam; carcere *Petrus*,
Paulusque ignoti, abjecti, vinctique jacebant.
Quam mira, atque ingens nunc est conversio rerum!
Aspice quid tandem *Nero* nunc? fæx ultima, fundo
Carceris igniti, piceæque voraginis igne.
Aspice quid *Petrus*? quid *Paulus*? sidera cæli
Fulgidiora duo: duo prima sedilia Regi
Proxima utrinde tenent, hic ense, & clavibus ille
Insignes: Mundi Heroum, Regumque futuri
(c)Arbitri adorandi, regnaturique perennes
Inter delicias, longe ultra vota beati.
En paupercula anus quæ despectissima Mundo
(d)Stercoris instar erat; sed erat gratissima Divis,
Et Christo; cujus morientis imagine; vitam
Angustam, & duros didicit tolerare labores.
(e)Pœnarum comitem, comitem quoque gloria Christi
Subsequitur, sceptrumque gerit, fulgetque corona.
Plaudite qui Jesum vita, qui morte sequuti:
Quæ mala passi estis brevis, & rapidissima vexit
Hora, eademque iterum nunquam turbanda deinceps
(f)Ponderis immensi, infinitaque gaudia vexit:

Et

(a) *Etenim universi qui sustinent te non confundentur*. Ps. 24. v. 3.
[b] *Præterit enim figura hujus mundi*. 1. ad Cor. 7. v. 31.
[c] *Cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes*. Matth. 19. v. 28.
(d) *Tanquam purgamenta hujus Mundi*. 1. ad Cor. 4. v. 13.
(e) *Cum* Christus *apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria*. Ad Coloss. 3. v. 4.
(f) *Quod in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. 2. ad Cor. 4. v. 17.

Et quos invidit, quos olim Mundus ademit
(a)Nunc venerabundus cum fœnore reddit honores.
Dum peragebatur perituri fabula Mundi,
[b]Larva ibant homines tecti: quid quisque fuisset
Ignotum, nequedum veros tum cernere vultus
Concessum: fallax oculos ludebat imago;
Perfidiosaque erant mendacia proxima veris.
Hæc erat exspectanda dies, qua fraude subacta;
Nulli fas animo contraria verba sonare,
Nulli jam vultus discordes mente liceret
Fingere: & unicuique suus color, & sua cuique,
Veraque jam facies, fuco, larvisque remotis,
Assignaretur. Quidquid *Venus* improba, quidquid
Impulit ut faceres sitis ardens, & rabida auri,
Quæ tibi tu tacitus, quæ secretissima cæco
Pectoris arcano, intimioreque condita mente
Servasti; in medio posita, ac nudata retexit,
[c]Vulgavitque Deus: lucem impartitus ab alto
Divinam, sinuosa tui penetralia cordis
Diffidit, ac toto nemo est quin viderit orbe.
Omnia cum fuerint sic jam patefacta, librique
Clausi, & inaccessi mundanæ tempore vitæ
(d)Ante oculos positi, & coram omnibus undique aperti,
Propatulique, audi quæ sit sententia: Judex
Quos habet ad dextram aspectans placidissimus ore:
(e)O mihi vos, Patrique meo charissimi, adeste,

Et

(a) *Nimis honorificati sunt amici tui, Deus*. Ps. 138. v. 17.
(b) *Mundus totus in maligno positus est*. 1. Joa. 5. v. 19.
(c) *Nihil enim est opertum quod non revelabitur, & occultum, quod non scietur*. Matth. 10. v. 26.
(d) *Et libri aperti sunt ... & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum*. Apoc. 20. v. 12.
(e) *Tunc dicet Rex his, qui a dextris sunt: Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum ... esurivi enim,*
&

Et regnaturi mecum mea sceptra tenete.
Sic porro meriti, namque esuriemque sitimque
Expertus, memini, vos occurristis utrique.
Nudus eram; mihi vos tegumen, vestemque dedistis:
Hospes eram; tecto vos me excepistis amico:
Æger eram; vos me vestro recreastis amore:
Carcere vinctus eram; venistis visere vos me.
Hæc vero Sancti haud capiunt, dubitantque, rogantque.
(a)Quando hæc? & Judex: cum subvenistis egenis,
Cum miserati inopes estis, minimosque meorum;
Tum vos, tum mihi opem, & solatia cuncta tulistis
Ad lævam dein terribilis, vultuque revolvens
(b)Immensam irarum molem: Discedite in ignes
Æternos, inquit: quoniam vidistis acerba
Me fame confectum, ac nudum, victumque catenis,
Atque ægrum, & despexistis: neque porgere panem,
Auxilioque venire inopi, nudumve fovere,
Aut misereri ægro, aut vincto didicistis. At illi
Attoniti: quando ah! nos te despeximus? Et Rex:
(c)Cum renuistis opem miseris, cum terga dedistis,
Tum me vos inopem, tum despexistis egentem.
(d)Nec mora: præcipitant hi, involvunturque profundis
Ignibus, & scandunt illi sublimia regna. CON-

& dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me. Nudus, & cooperuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Matth. 25. a v. 34. ad 36.

(a) *Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* v. 40.

(b) *Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum... esurivi enim, & non dedistis mihi manducare... nudus eram, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me.* v. 41. & 43.

(c) *Amen dico vobis: quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* v. 45.

(d) *Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* v. ult.

CONCLUSIO.

Hactenus, alme Deus, potui, exiguique laboris
Pro te ſuſcepti, quoniam tu parva rependis
More tuo magnis, magna hæc mihi præmia poſco:
Ut cum corporeis vinclis me, et carcere ſolves;
Quæ puer hiſpano recitaban carmine, vate
Xaverio dictante, mea hæc ſint ultima verba,
Intima et hæc poſtrema meæ ſuſpiria vitæ:
Ut flagrem, Deus alme, tuique inflammer amore,
Haud equidem promiſſa movent me munera cæli;
Nec me adeo impellunt horrendæ ad Tartara pœnæ,
Quominus in te auſim quidquam tentare protervus.
Hoc moveor, quia te Jeſu chariſſime, cerno
Tergemino infami confixum vulnere trunco,
Ora cruentatum, & lacerum crudeliter, inter
Opprobria, inter tormenta expirare, morique.
Aſpectu hoc uror, ſic & mihi pectora fervent,
Ut ſi nec pœnæ, nec gaudia me ulla manerent;
Sponte vererer adhue, & adhue te ſemper amarem.
Deme, licebit enim per me, quæ magna paraſti
Præmia: nam quamvis tua tu mihi præmia demas;
Non ſecus atque ultro te amo nunc, ardenter amabo.

FINIS.



INDEX

CARMINUM

PARTIS PRIMÆ.

ERRATA	CORRIGE.
Pag. 10 lin. 33 Nepoſti	Nepotis.
23 lin. 4 Scripturam	Scripturarum.
lin. 16 exultatium	exultantium.
lin. 37 falſique	falſiſque.
26 lin. 22 decerptum	decerptam.
lin. 24 lectione	lectionem.
27 lin. 22 prælaudate	prælaudati.
19 lin. 7 que	quæ.
28 lin. 4 Sicuti	Sicui.
46 v. 81 bacula	bucula.
62 v. 1 tanciſper fumus	tantiſper fumus.
Ibid. v. 76 rubera	rudera.
66 v. 85 alterutrum = *adde* =	alterutrumque coercens.
69 v. 51 ſi licet	ſit licet.
78 v. 4 in os	in hos.
89 v. 34 fixoque	fixoſque.
94 *Carmine XI.* v. 4. solium	ſoliumque.
95 v. 10 ibi obambulat	tibi obambulat.
97 v. 88 palma	parma.
127 v. 25 auden'	audin'
Ibid. v. 49 confundimus	confodimus.
149 v. 5 bovumque	boumque.
Ibid. v. 12 Nomen	Numen.
259 v. 26 Sed	Sol.
262 v. 98 clauſtro	clauſtra.
266 v. 59 *lege ſic*: Pax: hine vomerem, in falcem	
170 v. 17 manentem	manantem.
171 v. 45 ſentientibus	ſitientibus.
275 v. 40 audit	audiit.
285 v. 72 famoſa	fumoſa.
186 *Carmine XXVIII.* v. 4 ſed	ſe abdit.
296 v. 70 hac ora	hac hora.
209 v. 2. vox	vos.
211 v. 99. fundo	fando.
212 v. 10 vox	vos.
213 v. 42. infliganda	infligenda.
230 v. 2. ha!	ah!
Ibid. v. 4. aſpices	aſpice.
232 v. 98. Mortis	Montis.
236 v. 15. Quanam	Quænam.
240 v. 105. mærui	merui.
243 v. 2. neque ſine	neque enim ſine.
Ibid. v. 63 Unigenitum	Unigenam.
248 v. 82. Quam tum	Quam tu.
263 v. 119. neque	reque.
272 v. 373. tuctes	tectus.
284 v. 739. certamine	certamineque.





